

Z u

der öffentlichen Redeübung

welche Freitag den 26. September 1828 Nachmittags um $2\frac{1}{2}$ Uhr

in dem grossen Hörsaal

des Gymnasium zu Stettin

veranstaltet werden soll,

ladt

die Beschützer, Gönner und Freunde

dieser Schulanstalt

ehrerbietigst und ergebenst ein

Dr. Karl Friedrich Wilhelm Hasselbach,

Director und erster Professor des vereinigten Königl. und Stadt-Gymnasium, Director des mit
demselben verbundenen Seminarium für gelehrte Schulen, Mitglied der Lateinischen
Gesellschaft zu Jena,

annibale il nado ist nello reb

quando lo fece si abbracciò

il suo amato figlio e gli disse

che non aveva più tempo di vivere

ma che avrebbe vissuto per lui

e che sarebbe stato un gran conforto

per lui sentire la sua voce

che era ormai vecchio e debole

ma che aveva ancora molto da fare

per il suo paese e per i suoi figli

che erano ormai cresciuti e avevano

una vita propria e indipendente

ma che erano sempre lieti di sentire

la voce del loro padre e di sentire

De
multimoda idololatria

Cujus Tertullianus ludimagistros et ceteros professores
litterarum arguit

O r a t i o

A. D. VII ID. Januar.

cum in Gymnasio Sedinensi Directoris munus auspicaretur

habita

Car. Frider. Guilielm. Hasselbach.

Si unquam alias, ornatissimi Auditores, verecundia quadam innata
timidus a verbis publice faciendis refugi, hodie profecto et plurima
sunt et gravissima, quae omnem fere animi fidentiam, si qua forte fir-
matus ad dicendum processerim, deprimere plane possint atque in-
fringere. Aditurus enim his verbis munus sum cum per se difficil-
limum tum a plerisque adhuc, cum duo hic litterarum ludi haberentur
olim separati, nunc in unum redacti, ita laudabiliter gestum, ut non
nisi parva spes ostendatur, ejus laudis, qua tam multi tamque egregii
viri eodem munere ante me perfuncti abundant, me vix partem ali-
quam adsecuturum esse. Tempus me deficiat, si vel summam earum
rerum, quibus ad maximam laudem insignes, velut Micraelius, Quadius,
Buettnerus,¹⁾ quos honoris causa nomino, de juvenili institutione, de
litteris scholasticis, atque adeo de tota republica optime promeriti sunt,
non longius persequi, sed perstringere brevi coner. Ne tua quidem,
Vir Venerande,²⁾ in hoc gymnasium, cuius gubernaculum per longam
annorum seriem primum cum collega, deinde solus tractasti, merita
omnia te coram oratione complecti nec tua me sinit modestia, neque
a me hic tenenda instituti ratio permittit. Quare mittens, quae hoc
pertineant, singula in universum illud non dubito omni adseveratione
affirmare, neque stultorum vituperatione neque invidorum malevo-
lentia neque obtrectatorum calumnia factum umquam iri, ut benefi-
ciorum, quibus tu discipulos affecisti, memoria ex intimis eorum men-
tibus evellatur, ut tuorum in hanc scholam meritorum monumenta
conterantur livida oblitione et obruantur, ut laborum tuorum praemia,
ut debitae tibi laudes ingrate praeripiantur.

Ego quidem, quem amplissimi illius collegii, quod te jam totum vindicavit, mandato in eundem unde, tu decedis, locum modo inauguasti — quod bonum, faustum, felix sit! — in auspicando novo munere neque prius neque antiquius quidquam habeo, quam ut omnium eorum nomine, qui et doctrinae et morum conformatiōnē tibi hinc acceptam referunt, ut nomine hujus scholae, quae me jam velut animi sui interpretē videtur postulare, denique ut meis ipsius verbis pro omni labore, quo suscipiendo et juventutis eruditioni et gymnasii hujus emolumento bene consulisti, pro tot officiis a te etiam in me profectis maximas quas possum gratias tibi agam. Quas quidem in gratias referendam mihi hanc quoque censeo, quod securus de iudicio eorum, qui sapere sibi soli videntur, quaecunque tu sapienter ac salutariter instituisti, ea abolere temere atque everttere religioni habebo.

Jam licet cum gratiarum actione conjungere simul et gratulationem et consolationem, alteram tibi faciendam de eo, quod parte muneris deposita gravi molestiarum atque aerumnarum, quibus exantlandis te premi sentiebas, onere levaris, alteram adhibendam nobis, quod, quamquam a vetere illa necessitudine operisque communitate te videmus disjungi, non omnino tamen a societate nostra te diremptum, non ab omni conjunctionis vinculo te iri avocatum scimus. Deus immortalis faxit, ut cum prospera valetudine, cum animo vigente suppetat tibi vita longissima ad provinciam eam, quam benigne concessam tibi solam cepisti, strenue, et ut maxime rei scholasticae intererit, administrandam, ad prosaciendum etiam hujus scholae, quae quasi praecipuo quodam jure tuam sibi curam expetit atque depositit, commodis, ad conservandam nobis, a quorum curriculo non sine collecto pulvere te jam deflectis, cum amplissimi illius collegii, in cuius sodalitatem ipse receptus es, tum viri splendidissimi atque excellentissimi,³⁾ qui non huic tantum collegio, sed toti hujus terrae regioni cum potestate praefectus est, quemque hic praesentem ea, qua par est, observantia ac reverentia colimus, voluntatem et favorem, quo distitutus labor noster vel impigerrimus, studium nostrum quamvis contentum parum proficiet.

Hoc favore fretus, nec minus sane fultus auctoritate eorum virorum, qui summam rerum scholasticarum summa cum prudentia apud nos moderantur et gubernant, respiro paullulum a timiditate animumque demissum audeo erigere. Quid enim? Si tantis viris in me tantum fuit fiduciae, ut hocce munus credendum mihi ac committendum decernerent, num mirum videatur, si et ego aliquam inde fiduciam mei concipiendam putaverim? — Sic me confirmans aliquantum, nec tamen meis viribus, quae quam sint exiguae, quam debiles non ignoro, sed divino auxilio et numine, cui omnia debemus nostra, nitens munus capesso cum sollemni promissione, me omnem adhibitum diligentiam, omnem daturum operam esse, ut, quantum in me est, partes mihi impositas, officia mihi mandata recte atque ordine implere videar. Ita animo jam certior simulque longe remotus ab insolente atque inepto consilio quicquam derogandi de laudabili illa et a majoribus tradita consuetudine, qua mihi quoque adeundi rite muneris causa de arguento a studiis nostris non alieno habenda oratio est, ad dicendum aggredior, quae soque a vobis, Auditores, ut attente bonaque cum venia verba mea audiatis.

Contemplantibus igitur animo paullo intentiore saeculi, quale nunc est, ingenium prae ceteris tanquam speciminibus ejus ostendit se nobis atque occurrit sacrorum quoddam studium, quod haud ita pridem sane quam refixerat, refotum et reviviscens. Desertae aerae recoluntur, labantes sustinentur, eversae restituuntur. Per totum fere orbem Christianum videmus passim veteris desiderii animis insiti penitus, sed prope exticti igniculos suscitari, homines quasi ex gravi veterno expurgisci, ut ex crapula resipiscere. *) Nimirum matutina veritatis stella denuo iis exoritur, lux evangelii, quae eadem verae vitae lux est, denuo accenditur, fidei sensus rursus excitatur. Sed qui sic expergefacti ad sobriam sanioremque mentem redeunt, non revertuntur simul etiam ad praescriptionem istam, cuius vinculo profitenda fides devincta a majoribus et constricta tenebatur, sed potius ad priscam illam credendi libertatem, quam non videntur alia confessionis, quae vocatur, formula, nisi quam ipsimet sibi paullatim constituant, esse praecisuri.

Ubi autem animi hominum velut de integro divinitatis fonte irrigati traditaeque superne doctrinae praeceptis recens imbuti sunt, ibi debet haud raro idem usū venire, quod olim prima Christianorum aetate evenisse accepimus. Quemadmodum enim tunc summae sanctimoniae amor omnisque impuritatis superstitionis odium efflorescebat, ita hodieque idem contingere nemo erit tam injustus, qui infitietur. At sicut olim a gravitate ac severitate, qualem Christianae vitae regula videbatur praescribere, temperatam illam et relaxatam leni quadam indulgentia, simul degenerabant in tristem duramque acerbitudinem vix ullo humanitatis condimento mitigatam: sicut non a gentilium sordibus tantum atque inquinamentis aversantes refugiebant, sed nimio animi impetu quasi a recta judicii linea abrupti mores etiam vitaeque instituta rejiciebant a se atque condemnabant, quae non modo non abhorrent omnino a ratione Christiana, sed valerent etiam ad sustentandam eam, atque praesidiis haud infirmis stabiliendam: sic etiam nunc in resipiscientium numero reperiuntur, qui velut partium studio perciti et veri rectique limites transgressi non solum in obviam sibi et vitae et doctrinae pravitatem quasi suo jure invehantur, sed odo- rantes scilicet sagaciter acuteque indagantes vel reliquias veteris cujusdam gentilitatis nondum extirpatae prorsus radicitusque extractae, vel vestigia novae, quam ingruere iterum et acriter quamvis expulsam usque tamen recurrere existimant, vehementius insectentur instituta, quae tantum absunt, ut detrimentum importent reipublicae Christianae, ut contra et ipsorum rationibus optime conducant.

Inde fit, ut hodie querelas audiamus iterum deplorari, crimina repeti, quae antiquitus effundebantur nonnunquam ab hominibus in judicando sine modo severis, qualia proferri videntur etiam a viro, quem praeter ingeneratum mentis fervorem solis quoque, sub quo natus erat, ardores inflammabant, Tertullianum⁵⁾ dico, illustri alioquin laude apud plerosque, qui non nimio discrepantium a suis opinionum odio arderent, celebratissimum. Namque ingenii proprietate quadam adeo inter omnes excellit, ut non tam propterea, quod neminem haberet,

quem imitando sequeretur, et a quo accepta in suum usum converteret, quam propter animi dotes ipsi peculiares parens factus sit sermonis ecclesiastici, quo omnes deinceps patres latini utuntur; tantum pollet mirifico quodam acumine et subtilitate, ut quot verba, tot aculeos fere emittat, ut argumentandi artificio, petito illo ex dialecticorum scholis, aucto atque exercitato fortasse usu judiciali ac forensi, quocunque disputat, evincere videatur, teque vel invitum, quocunque velit, violenter rapiat. Ceterum nulla in eo facundia est, qualem apud scriptores profanos invenimus, nulla verborum lenocinia, nulli cincinni nec quaesiti leporis. Ne perspicuitati quidem satis ab eo consultum esse, jam veteres queruntur. Sed quantacunque obscuritate oratio ejus prematur, id tamen satis elucet, flagrantissimo in dominum, cui fidem semel dederat, amore non ipsum modo arsisse, sed idem studium in aliis etiam incendisse, non observasse modo ipsum, quam sanctissime fieri posset, doctrinae Christianae paecepta, sed defendisse eadem etiam fratrumque causam egisse tam prompte, fortiter et constanter, quam docte, scienter, acute, non adversus ethniconum tantum injurias aut Iudeorum pervicaciam, sed etiam adversus haereticorum perversitatem pravasque orthodoxorum opiniones, donec ipse austernitate quadam innata ingeniique aestu atque instinctu praecipus videretur ac devius ferri, — denique non agnovisse eum magis Christianarum virtutum praestantiam, neque summam earum pulchritudinem ac perfectionem et adumbrasse aliis et commendasse magis, quam ipsum abfuisse plurimum a vana illa et vitiosa jactatione, quasi metam et sibi propositam cursu jam contigisset. Hic igitur Tertullianus, qui in libro de idololatria vitae genera non populari quadam trutina, sed velut aurificis statera examinat, qui ad expurganda omnia gentilitatis recrementa subtilissimam doctrinae rationem tanquam obrussam adhibet, ibidem non tam quae- rendum esse ait de ludi magistris et de ceteris professoribus litterarum, quam non dubitandum potius, affines illos esse multimodae idololatriae. 9)

Ludi magistros vix dubium est ita eum distinxisse a reliquis litterarum professoribus, ut utrique litteras quidem profliterentur, sed

illi prima tantum earum elementa pueros docerent, hi perfectiores sive altiores disciplinas, quibus orbis ille veteris doctrinae conficiebatur, adultioribus traderent, itaque opus ab illis inchoatum quodammodo consummarent. Hinc perspicuum illud est, non minimam istius operis partem in ambitum cadere scholarum, cuiusmodi haec nostra est, eorumque magistros in culpae communionem quandam vocari. Neque minus ex ipso crimine appetet, etiam per eas regiones, quas proxime spectat Tertullianus, Christianos frequenter suscepisse litterarum professiones, gramaticamque et alias artes liberales factitasse: id quod alibi tunc accidisse, unius Origenis ⁷⁾ exemplo nobilissimo hic satis sit probare. Tales Christianos multiplicis idololatriae Tertullianus accusat. Quaeramus argumenta, quibus conflet accusationem.

Si fidelis, inquit, litteras doceat inserta idolorum praedicatione, sine dubio dum docet, commendat: dum tradit, affirms; dum commemorat, testimonium dicit. ⁸⁾ Primum moneo praedicationem in his verbis non significare laudationem, sed pronunciationem. Deinde cavitatem nobis ab eo errore erit, ex accusatoris sententia potuisse forsitan doceri litteras etiam omissa idolorum appellatione. Sed tametsi saeculares litteras docenti edenda simul deorum nomina necessario esse facile concedimus, dubitamus tamen, num eadem necessitas edentem cogat, quae docet, etiam commendare. At enim sua quemque magistrum etsi nngacissima discipulis commendare, sicut etiam plenius aequo laudat mercator Horatianus ⁹⁾ venales quas vult extrudere merces, id adeo videtur in ipsa magisterii natura infixum esse, ut vix fingi queat praceptor, qui sive disciplinam sive artem, quam profiteatur, flocci faciendam, vel etiam contemnendam dissentibus proponat. Ut commendet igitur, dum docet, num deorum notiones, de quarum falsitate ipsi persuasum est, auditoribus ita commendatos esse volet, ut fidem habeant fabulis fictis et commentitiis? Non credimus. Sed quid tandem commendare innocenter potest? Rerum quandam vel nominum

⁷⁾ Epist. 2, 2, 10. 11. hisp. amicul. auxiliis in. antipat. omnibus in. at. i. 1. 1. C

notitiam, quam cum litteras sine ea non percipi satis posse sciat, discipulorum memoriae mandat ediscendam firmiterque retinendam. Ponamus fuisse hominem, qui antequam Christo nomen deditisset, grammatices seu litteraturae professioni unice vacaret, neque ullam artem vel nosset praeterea vel exerceret. Is Christianorum sacris initiatus opibusque, quae victimum praebeant, carens quid facturus est, ut vitam sustentet? Nonne licebit ei ludum tueri, in quo, quibus ipse olim temere crediderat, ea nunc incredulus, ut quae anili superstitioni tribuenda cognoverit, non tanquam ex animo deprompta, sed ex memoria repetita tradat? — At fides, inquit, famem non timet: fides didicit, non respicere vitam, quanto magis victim! — *) Verum enimvero non videmus, quid sit, quod fidelem adigat ad esuriendum, quandiu cibum parare possit faciendo quaestu, quem fidei adversari nondum demonstratum est. An vero, dum tradit, affirmat is, qui omnem et assensionem et dissensionem cohibet, qui neque approbat assertione, neque improbatione rejicit, qui ita demum munus suum se tenere arbitratur, si partes suas neque ab infidelibus desiderari, nec sperni a fidelibus sinit? — Qui autem sic fungitur magisterio suscepto, num testimonium is dicit, dum commemorat? An forte ipsa commemoratio gravior illa confirmatio est, qua ut alibi rebus sub sensum cadentibus, ita hic notionibus in animo informatis tanquam a teste fides atque auctoritas religiose adjungitur? Profecto id si ita est, cavendum erit tibi, qui historiam enarras, ne, dum mendacia inter rerum gestarum monumenta referenda memoras, ipse mentitus esse videaris: cavendum tibi, qui delirantium philosophorum somnia, qui oscitantem haereticorum sapientiam recenses, ne ipse delirare ac fatuari arguaris: verendum et tibi, Tertulliane, est, ne, dum ipse vel philosophorum hallucinationes vel haereticorum errores persequeris, ipse tua te sententia hallucinationum errorumque convincas.

At enim, dixerit aliquis, qui fieri potest, ut Christianus, qui gentilium superstitiones profitetur, non simul judicio aperte eas con-

*) d. idolol. c. 12.

demnet, sed occultet potius ac dissimulet veros animi sui sensus? Dissimulatio autem nonne delictum est, et quicunque delinquit, nonne sine dubio idololatriam admittit? *) Porro cum taciturnitas imitetur confessionem, cum testis, qualis appareret is, qui rem aliquam refert, silentium, ubi non negatur diserte, videatur concedere, nonne in eam fraudem magister noster auditores impellet, ut gentilem ipsum esse credant? Haec fraus autem nonne in eodem idololatriae crimine, ut cum Tertulliano loquar, expungitur? Denique, qui fieri potest, ut qui ad res salutares semel accessit, non longissime recedat a pestiferis, ut sordibus semel elutis iterum se contaminet, ut fortasse velut canis ad vomitum suum revertatur, rebusque, quas nihil aestimare ac respuere et detestari prorsus debeat, iterum tractando pretium quantumcunque videatur statuere?

Heu, quanta haec est telorum moles in miserum ludi magistrum conjecta! Sed non admodum metuendum ei putamus, non quod liceat ei sine dubio vel ita defendere ac tueri causam suam, ut praetendat consilii excusationem, qua utentes ipsorum patrum plerique²⁾ pias, quas vocant, et fraudes et dissimulations non modo concesserunt, sed commendarunt etiam admittendas, exemplo scilicet atque instituto Divi Pauli, qui, ut gentiles lucraretur, et ad salutem perduceret Christianam, ipse gentilis speciem indueret. Quis enim, si ulli unquam in simili causa et dissimulandi et fraudem faciendi, modo salutaria exsequeretur consilia, veniam dederit, eandem veniam nostro reo recuset? At non opus est ancipiti hoc patrocinio, cum istius ope etiam orbatum salvum atque incolumem evadere videamus. Quidni enim sospes emergat, qui petitur quidem, sed non feritur, non sauciatur? Quippe leviora atque hebetiora, quam ut perstringant aut vulnerent, putanda ea tela sunt, quibus Tertullianus ipse non utitur. Ipse autem non utitur, quia non vult oppugnare latus, quod non denudatum praesidio, sed satis munitum, et ad omnes ictus tutum videat. Quid enim obstat, quo minus magistrum ipsius confessione

*) I. l. c. 1.

patefactum Christianum existimemus? Non delitescebat amplius in obscuritatis latebris ecclesiae etiam per Africam sparsae, non ita timida atque ignava Christianorum natio erat, ut ubivis lucem fugeret, anxieque et semetipsam et fidem suam absconderet.¹⁰⁾ Jam qui veram animi sententiam non dubitavit ita p[ro]ae se ferre, apertumque pectus ita ostendere, ut qui velit proprius introspicere mentem ejus, nihil ibi tecti, nihil occulti inveniat, num is videri dissimulator poterit, etiamsi, quod animo sentit, non lingua semper promptum habeat? Num decipi quisquam atque induci adeo poterit, ut superstitionis vanitati adhaerescere credat eum, quem nuntium superstitioni atque impietati remisisse notum omnibus ac manifestum est?

Deinde ne nimium miremur, quae causa possit esse, quare tradere aliis sustineat, quae rejicere ipsum atque aspernari inter omnes constat, satis videtur ipse Tertullianus tantum non advocati partes obtinere coactus cavisse. Quomodo quis institueretur, inquit, ad prudentiam interim humanam, vel ad quemcunque sensum vel actum, cum instrumentum sit ad omnem vitam litteratura? Quomodo repudiamus saecularia studia sine quibus divina non possunt?¹¹⁾

Sane si quid unquam patrocinari reo potest, haec sunt, quibus ipse accusator gravissimi criminis a se citatum accusandique terroribus ac minis perculsum velut scuto protegit. Numquis excusatior potest vel acerrimis judicibus esse, quam qui docet id, quo discipulus ad quodvis vitae genus diligendum et perseverendum, ad cujuscunque munieris officia servanda ac praestanda idoneus reddatur, quo non animus tantum, qui sensum habet, sed omnis etiam rerum actio fingatur? Vix dubito fore plerosque, qui hunc non modo non condemnari, sed omnibus sententiis absolutum omniisque laude cumulatum atque tractatum honorificentissime ut optime de civibus meritum e iudicio dimitti velint.

Neque tamen totum hoc jam patrocinium est, quo non succumbenti Tertullianus non desinit succurrere, sed pars ejus haud sane levissima adhuc reliqua et quasi in subsidiis est. Quid enim? ne di-

vina quidem studia, quibus operam dare Christiani maxime debent,¹²⁾ aut efficiunt quidquam, aut proficiunt et valent saecularium ope nudata? Et hoc tantum auxilium fert magister, hoc tam grave praesidium parant professores in summum damnationis discrimen adducti? Sane si terrestrium quidem rerum gerendarum scientia vel maxima, si plurimorum negotiorum usus, si utilitates et opportunitates uberrimae ex litteratura illa, quam vocat Tertullianus, nascerentur, coelestium autem cura ipsa hac prudentia ipsoque ejusdem fructu et hebetaretur et destitueretur, tum vero renuntiandum terrenis omnibus commodis esset, ut lucrifieret Christus, tum nauci habenda essent humanae cognitionis lumina, quae officerent et obstarent divinae, tum deserenda causa ejus, qui, dum ipse sibi semitam parum saperet, aliis vellet monstrare viam unumque illum aditum, quo ab humilioribus quisque ad altiora debet eniti, non modo non patefaceret, sed obstrueret potius atque obsepiret. At quam longe hoc secus est! Saecularibus studiis quasi fundamenta jaciuntur, in quibus exaedificetur ac perficiatur divinorum opus; neque hoc potest ullo pacto nisi substratis illis exsurgere atque in altum educi. Nonne autem illa, sine quorum firmamento ac fultura aedes sacrae neque estrui omnino queant neque stare ac sustentari, simul cum ipso litterarum sacrarum templo quodammodo consecrantur? Nonne is, qui quicquid moliendum existimat, ut substructio necessaria fundetur firmiter et stabiliatur, id omne congerit atque efficit non sine labore operoso et molesto, in opificum templi potius atque aedificatorum numero habendus est, quam ut evensoris ac destructoris nomine suspectus a limine ejus procul arcendus?

Sed vereor magnopere, ne ludere operam videar propugnando diutius pro loco ejus, qui sua se necessitate adversus expulsores satis munivit. Est enim hoc munimentum tam validum tamque inexpugnable, ut nostrum etiam oppugnatorem, qui alibi allegationem, quam vocat, sive advocationem ejus *) non obstare sibi patitur, impeditum teneat. Videamus igitur, ait, necessitatem litteratoriae eruditionis. Sed ecce!

*) d. coron. mil. c. 11.

Moratus paullisper subito adoritur iterum vallum non modo convulsus, sed etiam perrupturus. Respiciamus, ait, ex parte eam admitti non posse, ex parte vitari; fideles magis discere, quam docere litteras capit. Cum fidelis eas discit, si jam sapit qui sit, neque recipit neque admittit. Huic necessitas ad excusationem deputatur, quia aliter discere non potest. Tanto autem facilius est, litteras non docere, quam non discere, quanto et reliqua scholarum de publicis propriis solennitatibus inquinamenta facilius discipulus fidelis non adibit, quam magister non frequentabit.¹³⁾

Quid ergo est? Dejectumne prorsus putabimus propugnaculum, quod vel ferocissimi impetus violentiam frangere videretur et retardare posse? — Certe non negamus, nunc demum anticipem fieri defensionis rationem ac lubricam. Quamvis enim dicamus, nos non satis intelligere, quare necessitatis praesidium ad magistrum minus pertineat, quam ad discipulum, cum docere hic possit nihil aliud esse, nisi reddere, quae quis discendo acceperit, proloqui, quae ceteri si non imbibierint ac perceperint animo, at memoria comprehenderint et custodiant. Quid autem obstare, quo minus magister quoque, dum in discipulis profiteretur nomen suum, neque receperit quicquam neque admiserit, sed integrum se servaverit? Gratias igitur et habendas et agendas ei potius, quod fratrum necessitatibus subvenerit, quam increpandum ejus beneficium esse: mercedem potius ac praemium laboris persolvendum, quam minitanda supplicia aeterna.

Haec et similia licet verba contra petitorem faciamus, tantum tamen adest, ut refutemus et rejiciamus ejus conatum, ut ipse refellat orationem nostram ac redarguat. Etenim necessarium quidem, inquit, omnino est, discere litteras Christianum, sed docere non item. Nam si docet, si ludum litterariorum aperit, non potest aeque facile purus esse et liberatus omni sordium admistione ac discipulus. Hunc enim nemo cogit interesse quibusdam gentilium solennitatibus, quae a magistro, praesertim si proprie ad scholas referuntur, non negligi, sed peragi debent, quaeque celebrantem Christianum spurcarum superstitionum foeditate atque adeo idololatriae culpa commaculant.

Talem criminationem quomodo caute eludat magister, aut a se feliciter depellat, parum nos fatemur scire. Nam hac excusatione non potest uti, quod, si disci quidem omnino necesse sit, oporteat etiam esse, qui doceat. Nam sic statim accusator sermonem excipiat: At tu non debebas suscipere ac profiteri doctoris munus, quod salva fide non queas sustinere. Sunt alii e gentilibus, ad quos Christiani discipuli ventitent. Scilicet id tenendum adhuc nobis in tota hac causa est, Tertulliano rem esse cum aequali in mediis paganis, ubi nulla magistrorum penuria laboraretur, degente, non inter fidei consortes a sacrorum gentilium contagione ita disjunctos ac sevocatos, ut ipse solemnium religionum inquinamenta nullo negotio devitaret. Ista religiones quaenam fuerint, planius exponit Tertullianus. Erant enim vel communes ludi magistro cum ceterorum infidelium grege, velut Saturnalia et Matronalia celebratio, strenarum missio, publicarum feriarum observatio, epulatio: vel propriae ei ac peculiares, velut primae novorum discipulorum stipes Minervae consecrandae, scholae floribus coronandae.¹⁴⁾ Quodsi forte alteram harum partem declinare ei contingret, alteram tamen eamque haud sane innocentissimam non poterat non adsciscere. Qui autem e mercedularum a discipulis sibi tributarum primitiis Minervale munus quamquam invitus obtulit, nonne is, ut Tertulliani verbis utar, usque ad idololatriae adfinitatem necessitati largitus est?¹⁵⁾ Absolvitur quidem de hoc crimine, qui spectator tantum sacrificii fuit, ut officium homini, non idolo praestaret. At si, qui merum sacrificanti tradiderit, imo qui verbo aliquo ad sacrificium necessario eum adjuverit, minister habebitur idololatriae; id quod, nisi aliter omnino interpretemur idololatriam, quam cum Tertulliano famulatum idolorum colendorum,¹⁶⁾ concedendum haud dubie erit: quomodo reatum effugiet, qui non spectatorem se otiosum praebuit, sed actoris partes suscepit, qui non adjutoris ministerio functus, sed ut auctoris arbitratu operatus est, qui non aliis ad sacra facienda officium detulit, sed ipse sacrificium perpetravit. Nos quidem non videmus,

¹⁴⁾ d. idolol. c. 13. ¹⁵⁾ 1. 1. c. 11.

quibus viribus intentum in se periculum propulsaturus, unde salutis praesidium sibi comparaturus sit, nisi desperatissimo perfugio uti confidenter velit, astutiam illam dico, quam in dignitatum ac potestatum administratione, ut intactum se aliquis ab omni idolatriae specie praestet, adversarius quamquam sibi ipsi adversans aliquatenus ac repugnans adlibendam permittat.¹⁵⁾

Utcunque tamen res est, quantumcunque artificium istud ad expediendum reum valuerit, id certe persuasissimum habemus, multo majus eum teneri quaestus crimine numini fictitio ex parte consecrati, quam quod insimuletur legem migrare, quae prohibeat deos pronuntiari et nomen hoc in vano collocari. Quonam modo ista culpa dicatur contrahiri, infra *) nobis apertius ita explanatur, ut nomina quidem deorum, quae quotidianus tunc usus extorqueret, discamus pronuntiari posse, sed cadere in idolatriam, qui idolum nomine dei honoraverit Quodsi deos dicendum sit, adjiciendum esse aliquid, quo appareat, non ipsum dicentem hoc nomine eos appellare. Nostra certe sententia in nullius incurreret offensionem magister, cuius fidem cognitam satis ac perspectam haberemus, si doceret v. c., majorum gentium deos, quos Cicero festive vocat, deos consentes esse, nullo additamento diserte declarans, semet quidem ipsum deos hos esse neutiquam opinari. Supervacaneam enim hic quoque duceremus declarationem, ubi reticentis sensus, qualis esset, aliunde satis pateret: sed si rigoris cujusdam lege postulatur, concedat postulanti aliquantum de jure suo, addatque per nos licet vel quod Tertullianus proponit, nationum deos esse, vel deos esse credi, vel aliud id genus, ut vitata omni offensione hinc saltem probatus discedat.

Jam ubi dicta a nobis et perorata causa veteris illius magistri est, cui tam gravem actionem Tertullianus intendit, liceat pace vestra, Auditores, breviter tandem expendere, ecquid ex oblatis olim criminibus sit, quod hodieque possit litterarum professoribus inferri. Minime

*) I. I. c. 21.

enim dubium est, quin criminosi homines et acerbi, quorum recens aetas tam largum tulit proventum, existant, qui antiquitus objecta et exprobrata qualiacunque cupidissime arripiant, quique alio praesidio nudati patris ecclesiastici auctoritate, qualem fere quantumvis inepte crepant et jactant insolentius, armare se aggrediantur. Veremur tamen, ne nulla iis ex hoc Tertulliani armamentario idonea tela suppetant. Nam aut retusum mucronem vidimus, aut non nisi ita acutum, ut aequales tantum percutiat. In ecclesia triumphante nemo in verba devicti et conculcati hostis adigitur, nulla quisquam necessitate cogitur falsorum deorum imperio mortali et caduco, immortalis ac divinae veritatis virtute deleto atque extincto, obedire. Quae autem simul ad defendendum velut propugnacula firma Tertullianus exhibit, ea non omnia quidem nostros quoque sive ludi magistros sive professores litterarum praesidio muniunt, verumtamen vel ex parte suppeditant ad praestandum iis patrocinium. Erat quidem illorum temporum ratio ita comparata, ut nullum prorsus vitae institutum, quod homine, quod libero dignam haberetur, capi, nullum negotium agi posset sine litterae subsidio atque apparatu. Omittimus enim cum sordidas atque illiberales artes opificum, in quorum officina nihil putaretur inesse ingenui, tum operas mercenariorum, quibus ipsa merces, ut Cicero ait, *) auctoramentum servitutis esset, atque omnino quicquid vel quaestuum vel artificorum alienum videretur a liberalium artium honestate et dignitate. Rem autem ita tunc fuisse, eo facilius credemus Tertulliano, quo magis persuasum nobis est, nihil hunc fuisse reo condonaturum, nihil concessurum, nisi quod veritas ipsa velut extorsisset. Hodie vivendi fatemur vias patere varias, quas ingredi quis non inhoneste nec sine dexteritate possit, etiamsi non a doctoribus neque a doctrina praeter puerorum elementa instructus ad eam et ornatus arcesserit. At si quis paullo plus sapere, si ullum velit vitae genus capessere, quod altioris scientiae tanquam fundamento nitatur, eum, quamvis non in uno cognitionis et contemplationis studio vitae sua quasi tabernacu-

*) d. offic. 1, 42.

lum collocaverit, p^{rae}efracte tamen negamus vel hodie carere litteris posse, quibus ut olim, ita nunc quoque politior omnis humanitas continetur, quibus, si rite et caste coluntur, intelligentiae velut clavis comparatur, quibus gradus quidam ad escendenda superiora jacuntur, quibus aditus aperitur non ad tumidam illam atque inflatam hujus saeculi scientiam, quae, cum veritatis ignoratio sit, nominis auctoritatem ementitur, quaeque cum verum numen non agnoscat, falsos deos sibi adorandos proponit, sed ad sapientiam principem illam ac sinceram, quae parvolorum et humilium animos sedem sibi ac domicilium delegit, quae quo magis adolescit et perficitur, non eo longius hominem abducit a Dei propinquitate et quasi agnatione, sed priscae illius communis unitatis vinculum adstringit eo arctius et restituit, quae quo accedit proprius ad omnium rerum fontem ac principium, eo minus quicquam sicut proprium suum esse et a se vult possideri, eo augustius et sanctius summum hujus universitatis ipsiusque cognitionis parentem atque dominum veneratur.

Hujus sapientiae fructus cum ex studiis divinis percipiatur, divina autem studia nihil possint sine saecularibus, ut auctor Tertullianus est, quo graviorem in hac causa, quo locupletiorem et luculentiores patronum vix quisquam quaesiverit, pro Deus immortalis! quis hodie saecularium doctorem ausit adlatrare, quis criminacionibus petere et quasi venenata in eum contumeliae tela conjicere? — Sane quam longe ab ista, quam impiam nominare minime dubito, audacia aberant patres ecclesiastici omnes, qui ut ipsi via per ejus doctrinam ducente ad Christianam eruditionem pervenerant, non impediti neque obtrrectatione invidiae neque impeditorum ad hanc viam offensione atque fastidio,¹⁵⁾ ita et aliis eandem haud raro vel muniebant, vel commendabant certe ineundam: longe aberant ab impietate ista principes et civitates, quorum utrorumque opera atque impensa cum ante extinctas propemodum, tum post renatas litteras Iudi earum instituti, conditae scholae sunt, ut ad subtiliorem veritatis scientiam quam plurimae darentur viae: longe aberant etiam hujus gymnasii conditores, qui cum bonae mentis hanc

esse palaestram vellent, sedulam ejus ac diligentem curam posteris delegarunt: longe denique absunt, qui nunc curam istam sibi demandatam magna cum laude gerunt, gymnasii hujus Curatores et Patroni, multis nominibus reverendi, ad quos praesentes jam debet oratio mea delabi. Quanto minus ambigi fas est de amore, quo etiam Vos, viri spectatissimi, honoratissimi, litteras amplectimini, de propensa in studia nostra voluntate, quam non verbis solum, sed etiam re comprobastis, tanto libentiore animo me sentio commoveri atque impelli, ut promittam Vobis optima fide et spondeam, enisurum me pro viribus esse, ut juventutis in disciplinam nostram traditae commodis neque opera nec consilio nec labore desim, visurum me, quantum situm in me est, ne quid haec litterarum respublica, quae et discipulorum frequentia et bonae famae laude tam laete floret, detrimenti accipiat, omnique ope elaboraturum, ut quaecunque simul cum novo munere suscipiendo recipio, sanctissime observem et diligentissime faciam, tanto stabiliore benevolentiae Vestrae fiducia rogo Vos oroque etiam atque etiam, ut ea liberalitate, quae liberalium artium vere amantes deceat, ut favore et benignitate publicis scholae hujus commoditatibus praesto esse ne desinatis, nosque et omnia nostra habeatis Vobis commendatissima, tanto certiorē in spem inducor fore, ut Vos non facile patiamini, Vestram operam ac fidelitatem in administranda provincia Vestra, in ornandis et promovendis artibus, in fovenda eruditione unquam desiderari.

Vos autem, ad quos nunc venio, Viri doctissimi, Collegae honoratissimi, nolite perturbari tragoediis istorum, qui, ut verna nullus possit duobus dominis servire, ita neminem posse divina studia colere nisi neglecta humanitate etiam nunc clamitant, verum probe scientes, et rectum quidem Mammone usum ab ipso Domino in sapientis laude ponni, et posse vel honestissimam religionis speciem et pulchritudinem in tetrae superstitionis turpitudinem et pravitatem detorqueri, omnes curas atque cogitationes Vestras mecum conferte ad litteras non in quotidianae tantum vitae usum accommodandas, sed ad praefulciendas eas

etiam ac praestruendas ita, ut sapientia Christiana postmodum quasi superposita firme iis incumbat. Non adeo ignotus ad Vos venio, Collegae optimi, ut, cum et partium ipsarum, quas ante Vestros oculos adhuc transegi, et rationis, quam in agendo secutus sum, testimonia adsint, multum me esse oporteat in explicanda norma, ad quam novi munieris functionem directurus sim. Quare ut neminem Vestrum, etsi non cum omnibus mihi aut veteres necessitudines aut intima familiaritas conjunctiorque consuetudo intercedit, confido esse qui dubitet, Vos omnium sive consiliorum sive laborum, quibus juventutis, fidei nostrae concredita, utilitati atque saluti serviendum videatur, socium atque adjutorem me habituros esse impigrum et fidelem, ita etiam hoc Vos penitus persuaderi Vobis velim, sic demum satis officio meo fieri me arbitraturum esse, si perversitatis qualiscunque, in negotii nostri fines undecunque irrepentis, vias, quoad ejus fieri possit, intercluserim, neque ulla contentiones, quamquam alioquin pacis amantissimus, pro incolumente atque integritate earum rerum, in quibus cum agendis tum docendis vera Christianae sapientiae initia posita cernuntur, ignave defugerim.

Quid denique vobis, quos nunc compello, carissimi juvenes, prolixe de me pollicear, cuius animum et vobis et studiis vestris detitissimum jam dudum usu cognitum habetis? Usque adhuc cupiebam quidem omnium vestrum causa omnia, sed ipsis laboribus meis, quos munieris ratio terminis angustioribus circumscribebat, non poteram nisi pauciorum eruditionem complecti. Jam latius patebit industria mea: ad vos omnes curae meae pertinebunt. Quodsi deo bene juvante mihi contigerit, ut benevolentiam illam, quam et habui semper erga vos, et nunquam me non habituram esse adsevero, prospiciendo ac consulendo vestris rationibus etiam in posterum vobis probem, ut ad promerendum de vobis paratus beneficia quantacunque apud vos non male collocem, non tam liberalem me fore profiteor, ut nullam prorsus gratiam, nullam benevolentiae remunerationem a vobis exigam, sed foenerabor et benevolentiam et beneficia ita, ut sinceram amoris mei fi-

duciam, ut plenum in me, in magistros vestros omnes eorumque praecpta obsequium, ut rectissimorum studiorum adsiduitatem, ut consentaneam his studiis morum probitatem tanquam usuram mili pendendam a vobis postulem.

Te autem, summe Deus, sine cuius numine atque auxilio nihil recte, nihil prospere procedit, precor, veneror, uti novum munus mili fortunes, uti viribus iis eaque facultate, qua ad muneris officia naviter exsequenda opus est, benigne me instruas atque exornes. Te, Pater Optime, supplicibus verbis oro, ut hoc litterarum domicilium, cui me jam praeesse voluisti, sicut antea, ita etiam posthac Tu praeidio divino tuearis, conserves, regas, ut expreas docentium pariter ac dissentium animos Tui spiritus gratia, quo verae hic sapientiae officina habeatur instituta. Non nescimus, omnem et serentium et irrigantium laborem in irritum cadere, nisi Tu dederis incrementum. Te ergo imploramus, ut prosperos Tu successus nobis largiaris, ut semina a magistris sparsa excipientur discipulorum animo mollito et subacto, unde quasi arbores excrescant, quarum fructus alteri saeculo vere prosint, ut semper hic paratum sit seminarium civium, qui, quid Principi, quid patriae debeat, satis gnari, Tua ope adjuti, quod debent, large olim retribuant.

¹⁾ Joannes Micraelius primum ab A. 1627 usque ad A. 1641 rector scho-
lae senatoriae fuit, deinde usque ad A. 1656 Paedagogii, quod A. 1667 jussu Caroli XI.,
regis Sueciae, in Gymnasium academicum illustre mutatum ex hoc nomen Carolini
invenit. Cf. Ind. Rectorum in: Herings historischen Nachrichten von der Stiftung der
zwei Collegiatkirchen etc. wie auch des Königl. Gymnasii Carolini etc. Stettin. 1725, 4.
Quanto in honore et pretio Micraelii opera in juventutis eruditione posita apud
aequos rerum aestimatorum fuerit, satis, opinor, appetet inde, quod communis
Pomeraniae praceptor appellatus est. V. Ammonis (qui et ipse gymnasii rector
fuit ab A. 1667 — 1670) Histor. Pomeraniae paedagog. p. ult.

Mich. Frid. Quadium rectoris munus in gymnasio praecclare gessisse ab
A. 1716 — 1757, uno ore omnes consentiunt. Cf. Memoria M. F. Quadii ab Oel-
richsio scripta 1758, 8. et quae de vita ejus collegit Frid. Koch in Programm. gyinn.
Sedin. 1826, 4. p. 49. 50.

Christoph. Andr. Büttnerus scholae senatoriae sua cum laude praefuit ab
A. 1737 — 1757.

²⁾ Frid. Koch ab A. 1792 scholam senatoriam, cui anno inseguente Lycei
nomen inditum est, moderatus, posteaquam cum Gymnasio academico Lyceum
A. 1805 in unum litterarum ludum coaluit, rectoris munus partitus est cum Joann.
Jac. Sellio, qui jam inde ab A. 1790 Gymnasium perpetuo rexerat, insignis summa
integritate, industria, fide, veritatis amore ab omni specie adsimulatae virtutis alieno.
Post Sellii mortem, quae in A. 1816 incidit, Frid. Koch solus iterum Gymnasiis
clavum tenuit usque ad finem anni praeteriti, ubi abdicavit se hoc munere et in Re-
gium illud Collegium, quod rebus ecclesiasticis et scholasticis in Pomerania praeest,
cujusque jam antea quadam ex parte sodalis fuerat, totus transiit.

³⁾ Vir hic est Joann. August. Sack J. U. D. Regi a consiliis intimis, sum-
mus et provinciae hujus Praeses et Gymnasii Curator, crucis ferr. et aquilae rubr. I.
ord. Eques.

⁴⁾ Tertull. Apolog. C. 17, cum (anima) resipiscit ut ex crapula, ut ex somno,
ut ex aliqua valetudine, et sanitatem suam patitur etc. Meliorem lectionem potitur
jam Latinus Latinus in Bibl. sacr. p. 193 e libris mscrptt. enotavit: quam lectionem
Rigaltius (Observatt. p. 8.) falso vocat emendationem ejus. Vulgatam (ad quam fir-
mandam non trahi possunt loca, ut d. virg. vel. c. 1. proprium jam negotium passus

meae opinionis: de resurrect. carn. c. 51 caro et sanguis necesse est patiantur — incorruptetam) retinuit Ritterus in novissima Apologeticci editione (Elberfeld. 1828, 8.) ubi ad accuratiorem textus recensionem omnino nihil proficitur.

5) Tertullianum, quem libri mscr. Quintum Septimum Florentem Tertullianum plene nominant, gente fuisse Afrum, sive, ut Hieronymus ait de script. eccl. c. 53, provinciae Africae ex ipso constat. In Apologeticci enim c. 9: „Infantes, inquit, penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad proconsulatum Tiberii, qui ipsos sacerdotes in eisdem arboribus templi sui obumbraticibus scelerum votivis crucibus exposuit, teste militia patriae nostrae, quae id ipsum munus illi proconsuli functa est.” — Quantas turbas hic fecerit proconsulatus Tiberii, significat Desid. Heraldus in Comment. p. 57 — 8. Quaesiveat ejus interpretationem Is. Casaubonus e Jos. Scaligero, qui, quae habebat, respondit in epistola A. 1602 data (v. Scaligeri opuscc. var. ab Is. Casaubono edita Paris, 1610. 4. p. 485 ss.). Scilicet mendum putat verba continere tollendum ita, ut corrigatur: usque ad proconsulem Tiberii. Laudat hoc Casaubonus ad Spartiani Adrian. c. 3, ut doctissime et acutissime obser-vatum, vituperat Salmasius ibidem ut falsissimum, certoque certius esse ait, nihil in Tertulliani loco mutari debere, sed de aliquo Tiberio Africæ proconsule cogitandum, quem si quo tempore fuerit ignoremus. Sed ut suo jure neget, legatos praetorios, qui in Caesaris provincias mitterentur, non propraetores tantum Caesaris, sed proconsules etiam et proconsules Augusti dictos fuisse, vellem tamen duo illa argumenta a Scaligero allata diligentius eum momento suo ponderasse, unum quod Tiberius ita sim-pliciter nominatus non possit intelligi, nisi de Imperatore; alias enim omnes cum nomine ipso citari, solum Imperatorem suo praenomine tantum designari (ut Apol. c. 5, adv. Marc. 1, 19): alterum quod nequeat doceri, infanticidia ista tempore Tertulliani abolita fuisse: imo ex Chronologis Africæ ejus sacrificii abrogationem contigisse sub magistratu illo, quem miserat Tiberius. Nescio equidem, quantum ponderis alterum hoc argumentum habeat; at prioris illius auctoritas tam gravis mihi videtur esse, ut praenomen istud cum Scaligero nolim nisi de Imperatore accipere, servataque codicum lectione aut proconsulatum Tiberii interpreter dictum esse pro eorum aliquo, qui proconsulis, cuius etiam c. 45 mentio fit, munere sub Tiberio in Africa functus sit, aut errorem auctoris statuam hunc esse, quo, quod proconsul nescio quis Tiberii jussu exsecutus erat, deletam ex Afrorum sacrificiis barbariem ipsi Tiberio tribuerit.

De patria hic commemorata nemini facile quidquam in dubium venerit: mil- litiam ejus autem i. e. militum coetum (ut militia caligata legitur de idol. c. 19 similiterque sacerdotium de Pall. c. 1 ubi cf. Salmas.) non cum Scaligero e legione:

Romana, quae in Africa tunc agens operam suam praestiterit illi proconsuli, neque cum Valesio ad Euseb. H. E. II, 2 ex officialibus seu apparitoribus Carthaginiensibus, sed ex auxiliorum cohortibus per provinciam Africam conscriptis constitisse arbitror. Verum aliud est, quod in suspicionem mihi jam pridem venisse non dissimulo. Vide-licet suspicor, Eusebium ex hoc loco hausisse, quod in Chronicis A. 16 Severi memoriae prodidit, Tertullianum fuisse centurionis proconsularis filium, idemque hinc et ad Hieronymum profluxisse, et ad reliquos omnes, qui Eusebii Hieronymique fontibus hortulos suos irrigarunt, ut Niceph. Callist. 4, 12, 34, etc. Non tamen ipsum Eusebium, quamquam in aliis sat multis, qualia hic persequi nihil attinet, sua solius culpa lapsum, primi erroris arguere, quam Graecum Apologetici interpretem malim; quem cum etiam alibi auctoris sui mentem non satis adsecutum esse ex versionis specimine, quod Eusebius historiae eccl. 2, 2 inseruit, aperte demonstrari possit (cf. Vales. ad l. l.) istum quoque locum perperam intellexisse haud sane improbabile est. Nam ab Eusebio Tertulliani librum in graecum sermonem conversum non esse, id parum efficitur argumento illo, quo uno rem confecisse Valesius sibi videtur, cum Eusebius non alio consilio testimonium ab auctore Tertulliano petat, nisi ut probet, Tiberium detulisse quidem ad Senatum, sed hunc respuisse (*ἐκείνην δ' ἀπάσασθαι* cum Grut. e marg. Christophors. a Strothio diligenter inspecto, non ἐκ τ' ἀπ. quod ne in novissima quidem editione Lips. 1827, S. V. I. correctum miror) τὸν λόγον i. e. τὴν σωτήριον τοῦ Θείου κηρύγματος διδασκαλίαν, quae statim subsequitur, sive τὸν περὶ τοῦ σωτῆρος λόγον, quo simil Christi divinitas affirmabatur, sive τὴν τοῦ Χριστοῦ διδασκαλίαν, sive τὸ δόγμα Christianorum, seu denique τὸν σωτήριον λόγον c. 3 et al. Multo hoc magis perspicuum est ex ipsis Eusebii verbis, quibus Tertulliani Apologiam dicit γραφεῖσαν μὲν αὐτῷ τῇ Ρωμαίᾳν φωνῇ, μεταβληθεῖσαν δὲ καὶ ἐπὶ τὴν Ελλάδα γλῶτταν, non modo ne levissimum quidem indicium praebens, a se hanc translationem profectam esse, sed significans potius, simul cum latino exemplo etiam hanc jam exstisset eo maturius procul dubio institutam, quo pluris videretur Christianorum interesse, ut auctoris et gravissimi et eruditissimi, qui et ipse plus semel Graece olim vel propter suaviludos, quos vocat, vel propter alias Graeca omnino magis, quam Latina legentes a se scripta latino stilo repetiverat (cf. de virg. vel. c. 1, de bapt. c. 15 de coron. mil. c. 6) libellus quam celerrime in horum hominum manus perveniret.

Quantumvis autem licet in interpretatione peccatum conseamus (cf. Euseb. H. E. 2, 25, ubi tamen margo Christoph. saniorem lectionem videtur offerre ne memoratam quidem novissimo editori) magnopere tamen dolendum est, jacturam ejus

nos fecisse, cum et ad textum accuratius constituendum, et ad sententiam auctoris certius ernendam aliquo modo nobis profuturam fuisse non dubitemus. Id quod vel ex uno illo fragmento ap. Ensebium H. E. 2, 2 nobis liquebit. Quippe verba Μάρκος Αἰμιλίος ὄντως περὶ τίνος εἰδώλου πεποίηκεν Ἀλβεσίγου ut M. Aemilii nomen in Apologetici c. 5 confirmant, ita Metelli adv. Marcion. 1, 18 videntur everttere. Tum adversantur etiam lectioni scit M. Aem. — quam Heraldus quidem ex optimis mss. se restituisse praedicat, exemplisque ex usu Tertullianeo allatis tueri conatus est. Unde possit aliquis conjicere scribendum: sic M. Aem. d. d. r. A. fecit, vel cum Tertullianus soleat praesentia pro praeteritis frequenter usurpare (v. Salm. ad libr. de Pall. p. 206) facit, idemque hoc vocabulum in seqq. delendum ut ex importuna iteratione ortum: cujusmodi quid jam Gelenio subolut. Nobis tamen reputantibus primum, alibi quoque apud Tertullianum aliquid facere ad causam ut c. 29, deinde particulam de ita elliptice nonnunquam ab eo adhiberi, ut ex toto loco expleri debeat sententia, velut c. 48, tum minime esse verisimile, quod opinatur Heraldus, interpretem vel legisse, fecit pro scit, vel certe Tertulliani phrasin adeo non intellexisse, ut ipse supponeret lectionem, quam interpretari posset, denique auctoritatem Rufini, qui ex ipso latino auctore sicut exhibet pro scit, plurimum etiam hic valere (quemadmodum eadem maxime inititur lectio ap. Rigaltium: annunciat a sibi — quae illic veritatem istius divinitatis revelaverat, de qua lectione Ritteri judicium mire vacillat ac claudicat) nobis, inquam, istud Rufini sicut omissa faciendi verbo praecipue placet.

Jam si patriae militiam interpres semel non tam converterat, quam detorserat in patris militiam (cujus pravitatis culpam liceret ab ipso iterum transferre in exemplaris, quo uteretur, corruptelam, qualem alicubi reperiri Rigalius acceperat, nisi satius multo esset, hanc codicis, si quem exstisset credibile est, depravationem ex divulgato demum per Eusebium atque Hieronymum errore ducere) quid magis consentaneum, quam patrem militantem ab Eusebio in centurionis loco collocari, cum vel ex martyrum suppliciis, quae litterarum monumentis ipse consignavit, recordaretur, centuriones solere quasi apparitione ad sumendas poenas praesto esse?

De solo igitur patriae, ubi natus Tertullianus sit, etsi nobis plane convenit cum reliquis Africam hanc esse contendentibus, urbem tamen, unde oriundus dicatur in controversiam aliquam putamus revocandam esse. Etenim id quidem cum Allixio (dissert. de Tertull. vit. et script. c. 2, p. 19) persuasissimum habemus, ex Tertulliani operibus, quotquot supersunt, nullum posse Romae aperte scriptum demonstrari, sed multa potius esse, quae magis minusve Carthaginensem originem prodant, non tamen

illico sequitur, in eadem urbe, in qua libros scripserit, natum etiam scriptorem ipsum esse. Quare nisi in auctoritate Hieronymi (l. 1.) qui omnino, ubi solus testimonium dicit, sublestioris fidei est, acquiescimus, dubitandi de urbe patria locus, qui incertos nos atque suspensas teneat, relinquitur.

Presbyteri vero dignitatem ubi obtinuerit, de quo quaeri solet ac disceptari, a nobis haud perinde ambigitur. Reperiuntur loca quaedam apud Tertullianum, unde e Laicis eum fuisse suspiceris in sacerdotum ordinem non receptum, ut de orat. c. 28 de pudicit. c. 21 (cf. quae Ven. Neander attulit in Antignostico, Berol. 1825, 8. p. 5.) At sive antequam in clerum adlectus esset, sive post abdicatum munus ecclesiasticum, sive quocunque tandem consilio per muneris functionem ista scripserit (cf. Allix, c. 2 p. 11 ss.) in clero eum fuisse, ut cum ipso loquar, testatur satis manifeste locus de anim. c. 9, testatur cum Hieronymo communis ecclesiae ac constans opinio, testantur tam multi ipsius libri, unus de Pallio, proprio Presbyterorum habitu (cf. Salm. ad h. libr. p. 63 — 5. 74 ss. 362), alii et de disciplinae severitate et de doctrinae integritate conscripti, quales a laico auctore potuisse edi, omnem profecto fidem excedit.

Sed utrum Romae Presbyter fuerit, an Carthagine, adhuc in quaestione versatur, quamquam direpta videbatur controversia jam ab Allixio esse, qui (c. 2. p. 18—20) monere hac de re inutile censebat, nisi magnis viris, in quorum numerum etiam Salmasius (ad libr. de Pall. c. 2. p. 132) adsciscendus erat, contigisset errare. Quippe Semlerus nuper post Cellerium (hist. génér. des aut. ecclés. T. 2. p. 376) in Dissert. in Tertull. § 2. haud parvo conatu studioque id denuo egit, ut persuaderet nobis, ecclesiam, cuius Presbyterum usque ad medianam aetatem Tertullianum permansisse Hieronymus scribit, Romanam fuisse. Videamus, quas machinas admoverit ad expugnandum adsensum nostrum. Non abhorrere se profitetur a sententia ea, qua Hieronymus (quem sic quedammodo in partes suas pertrahit) putetur invidiam et contumelias illas clericorum Romanae ecclesiae, quibus commotus Tertullianus ad Montani dogma delapsus sit, ipse conjecturis reperisse ex variis scriptorum Tertulliani locis, nt e libro contra Praxeam c. 1. duo ibi negotia diaboli Praxes dicitur Romae procurasse, prophetiam expulisse et haeresin intulisse, paracletum fugasse et patrem crucifixisse. Quid Semlerus inde effingit? Prophetiam explicat per Montani fautores, qui Rōmāe apud episcopum ecclesias Montanistarum Asiaticas commendatum irent: quos inter haud dubie Tertullianum ipsum fuisse. Verba autem expellendi, fugandi significare non obscure, contumelia eum affectum ecclesiastica, seu loco atque ordine sacro motum atque dejectum fuisse. Vide mihi ex hoc exemplo, quid sit ingenio abuti, cuius aciem aliquin acerrimam praejudicata opinio praestrinxit. Neque opus est quicquam addi, ut

ostendatur, quam infelix caligo inde offusa interpreti sit, praeter hoc unum, quod ne evidentissimus quidem in proxime sequentibus locus reducere ei lucem potuerit. „Et nos quidem, Tertullianus inquit, postea agnitione paracleti atque defensio disjunxit a psychicis.“ Luce prope dicam ipsa clarius est auctorem hic diserte affirmare, post expulsam demum Roma prophetiam amplexum se doctrinam de paraclete esse et a Catholicis disjunctum ad Montani castra transiisse. Non potest ergo Romae sub Praxeae adventum erroribus Montani jam favisse, faventesque illis ecclesias episcopo commendasse.

Sed totus locus quonam modo cohaereat, et quae ejus sententia sit, paulo accuratius hic declarandum videtur. Postquam Praxeas Romae paracletum fugasse et patrem crucifixisse dictus est, sic verba continuantur: „Fructicaverant (ita legendum: respondet verbum graeco Βλαστάνειν, idemque fere est, quod infra erumpere) avenae Praxeanae, hic quoque superseminatae.“ Particulam hic, quam vel propter collocationem aptissime participio jungenius, significare in Africa sive, quod vix ambiguum haberi potest, Carthagine, appetat non solum ex opposita in superioribus Roma (cf. Neand. I. I. p. 483 — 4 not. xx.), sed magis etiam ex eo, quod ubi avenarum istarum semen, postquam denuo eruperit, denuo eradicatum iri, si voluerit dominus, auctor certo sperat, ibidem avenae jam semel fruticasse, jam semel traductae (i. e. palam convictae), per quem Deus voluit (i. e. per Tertullianum ipsum, prae humilitatis studio nomen suum dissimulantem, ut acute conjicit Allixius p. 25) et evulsae videri debent. Atqui illud certe cum auctor non Romae futurum esse confidat, hoc quoque alibi i. e. in Africa evenisse, si non omnino necessarium, at, si quid umquam, probabile admodum est. Itaque res, quas gestas Tertullianus refert, hoc ordine accidisse credendae erunt. Praxeas primus ex Asia Romanum id genus perversitatis intulerat, ut ipsum diceret patrem descendisse in virginem etc. (v. c. l. init.) simulque episcopum Romanum (quem cum Baronio et Allixio p. 23 — 4. Victorem potius, quam cum Neandro p. 485 ss. Eleutherum fuisse putaverim) ab agnitione prophetiarum Montani, Priscae, Maximilliae averterat. Deinde cum perversitas ita sive haeresis Praxeana ab ipso ejus auctore in Africam translata hic quoque radices egisset, coarguta mox a Tertulliano videbatur simul etiam extirpata esse, ita ut, qui eam docuerat, ipse chirographi sui cautione apud Catholicos, Carthaginenses puta, erroribus se renunciasse testificaretur. Interjecto autem tempore ubi renatam pravitatis haereticae sementem vidi Tertullianus, tunc demum a Catholicis abalienatus iterum eradicare eam libro adversus Praxeam composito aggressus est.

At „Hieronymum per ecclesiae presbyterum intelligere Romanae ecclesiae presbyterum vel ex Eusebii illa narratione (H. E. 2, 2) satis certum est!“ — Ab Eusebio Tertullianum vocari τά τε ἄλλα ἐνδέξον καὶ τῶν μάλιστα ἐπὶ Ρώμης λαμπρῶν legimus. Sed num colligi inde omnino possit, e clericorum Romanorum numero eum fuisse, dubitamus. Mihi quidem cogitanti, Eusebium in Chronicis eum Afrum appellare, eundemque solere omnes Latinos vocare Romanos (cf. Vales. ad H. E. 3, 3), unde factum, ut Tertullianum quoque, quem et sciebat ipse et tradiderat alibi Afrum esse, tamen nuncupare etiam Ρωμαῖον (H. E. 2, 25), satis certum videtur esse, gloriam istam splendoremque summum, quo praeditus fuisse dicitur, non referri posse ad dignitatem ecclesiasticam, quum ne ad episcopatus quidem fastigium elevatus fuerit, neque ad claritatem quandam causidici munere partam, cum tantam nobilitatem nominisque amplitudinem, quantam Eusebius praedicat, etiamsi nolimus munus istud Tertulliano abjudicare, apud ethnicos Romanos nemo, nisi vel in ordinem senatorium receptus, quod Valesius probe intellexit, vel amplissimis honoribus perfunctus adipisceretur. Qua propter aliud nihil nobis reliqui factum videmus, quam ut statuamus, ceteram quidem famam ex Eusebii sententia consecutum eum esse et vita et moribus et doctrina et fortasse honoris etiam, quem in ecclesia tenuerit, gradu, splendorem autem, quo inter illustrissimos Romanos enituerit, fuisse eum, quem Eusebius in Chronicis l. l. omnium ecclesiarum sermone celebratum dicit, i. e. quem libris suis inter clarissimos latinae ecclesiae scriptores obtinuerit. Sic nos quoque cum Valesio Rufini versionem probamus, usumque loquendi Eusebianum quadammodo firmamus loco Nicephori (H. E. 4, 34), ubi Hieronymi verba: „Tertullianus presbyter nunc demum primus post Victorem et Apollonium Latinorum ponitur“ ita reddit: ὁ Τερτυλλιανὸς πρεσβύτερος μετὰ Βίκτωρα καὶ Ἀπολλάνιον τοῖς Ρωμαῖοις Ψηφίζεται (unde, si tanti esset, corrigere posses in Pseudosophronii versione, catalogo Hieronymi inde ab Erasmo adjuncta — Ψηφίζεται τοῖς Ρωμαῖοῖς pro ψ. τοὺς Ρωμαῖοὺς). Eundem tamen Nicephorum improbamus ea, quae Eusebius l. l. de Tertulliano habet, sic pervertentem H. E. 2, 8: — ἀνὴρ ἐπιφανῆς καὶ τῶν ἐπὶ Ρώμης λαμπρῶν κατὰ νόμου ἀκριβειῶν.

At „clarissime ipse Tertullianus scribit, Romae se vixisse“ (de Cult. fem. 1, 6. s. de hab. mul. 7.) Vidisse Romae se gemmarum nobilitatem scribit, non vixisse ibi, si de commoratione diuturniore Semlerus hoc intelligi velit. Fuisse autem Tertullianum aliquando Romae, quacum urbe Africanis ecclesiis tam frequens intercedebat commercium, unde ipsis auctoritas praesto esse dicitur (de praescriptt. haeret. c. 36), id vel ipso tacente probabile satis videri poterat. Sed quaenam ista necessitas est, quae, si quis Romae tunc fuerit, illico nos cogat, eum in presbyterorum dignitate ibi locare?

De loco denique, quem ex libro de praescriptt. haer. (c. 30) ad suam causam tuendam excitat, addere quicquam piget, nisi quid forte in contrarium usum inde convertamus. Quid enim futilius, quid magis commentitium est, quam cogere velle ex iis, quae de Marcione et Valentino Tertullianus ibi refert, oportere eum igitur inter Romanae ecclesiae clericos fuisse: neque enim scire ista alios praeter hos clericos potuisse? Nobis quidem nihil videtur obstare, quominus fama de his rebus etiam in Africam credatur emanasse ecclesiisque ibi peragrasse ita, ut Tertullianus auditione omnia satis accurate acciperet, praesertim quum per vicissitudinem quandam nuntiorum etiam quae in Africa Christianis acciderent, Romae statim percrebuerint (id quod, si opus esset, exemplis ex unius Cypriani vita petitis confirmari posset), quumque ipse auctor, quoniam, quae de Valentino et Marcione memoriae prodidit, constare dicit, hoc verbo significaverit, in vulgus nota ista fuisse.

Postremo restat, ut, quum aliunde probari nequeat, Hieronymum per ecclesiae presbyterum intelligere Romanae ecclesiae presbyterum, videamus, an forte ipse huic rei probandae sufficiat alieni auxili non indigens? Sed tantum abest, ut probet ipse, ut in contrariam partem eum afferre omnia non dubitemus. Nempe quod etiam alibi fit, ut ecclesia opponatur haereticorum coetibus, (quem loquendi usum Latini scriptores mutuati sunt a Graecis cf. Suicer. Thes. eccl. p. 1050. B. 2), idem apud Hieronymum quoque fieri liquidissime patet. Cur enim, quem usque ad medium aetatem presbyterum ecclesiae permansisse universe dixit, eundem statim contumeliis clericorum Romanae ecclesiae ad Montani dogma delapsum addidisset, nisi singularem hanc ecclesiam a generali illa et Catholica distinguere voluisse? Deinde si Tertullianum adversus ecclesiam texuisse volumina subjungit, num adversus Romanam ecclesiam composita illa intelligi voluit? Et, si (in libri. adv. Helvidium) de Tertulliano quidem nihil amplius dicit, quam ecclesiae hominem non fuisse, num Romanae ecclesiae eum non adhaesisse significavit, an potius ecclesiasticum non fuisse eo sensu, quo multis aliis locis et ab Hieronymo hanc vocem et a Graecis ἐκκλησιαστικὸν ἄνθρα usurpari Valesius docuit ad Euseb. H. E. 2, 25. — ? (cf. Suicer. 1. 1. p. 1062 v. ἐκκλησιαστικός II. Quibus novissimus historiae Eusebiana editor Valesium locupletavit, non magni admodum ea nobis sunt, insolentiorque iste vocabuli usus, quem deprehendisse sibi apud Gregorium Nyssen. videtur, aptissime ad secundam illam, quam Valesius exposuit, significationem referunt.) Quid quod et Tertullianus eo ipso loco, unde praesidium sibi Semlerus querit (de praescriptt. haer. c. 30,) ecclesiae ita simpliciter positae non aliam subjicit notionem, nisi universalis sive Catholicae, a qua Romanensem distinguit? Certe, si ecclesia, cui ducenta sestertia Marcion intulisse traditur, non communis illa, sed singularis quaedam fuisse putaretur, Pontica ista, unde novissime

eum ejectum accipimus, non Romana intelligenda esset: quemadmodum etiam ecclesia, cui, si pacem vellet recipere, ceteros, quos vitiaverat sive perditioni erudierat, restituere debebat, universa ecclesia interpretanda est, aut si quo jure fieri posset, Pontica saltem non minus recte quam Romana. (Velut in transcursu moneo, totum locum in editione Halensi misere laceratum interpunctione esse, redeundumque ad Rigatianam distinctionem unice veram.)

Jam quum ea opinio, qua Romae Tertullianus putatur presbyter fuisse, non Carthagine, neque ab ipso Hieronymo, neque ab Eusebio aut alio quopiam auctore fulciatur, concidere eam prorsus et collabi necesse est, praesertim cum contraria sententia per se jam satis certa sustentetur non solum auctoritate quadam ecclesiastica, quam si non ex Optato (adv. Parmen. lib. I.) at ex Anonymo (de Haeres. 26,) cui Praedestinati nomen a Sirmondo imponitur, licet cognoscere, sed, ut lectionis varietatem taceam ad Hieronymum 1. l. ab E. S. Cypriano notatam e cod. Guelpherbytano, qui Tertullianum facit presbyterum ecclesiae Africæ, etiam loco illo Augustini de Haeres. c. 86, ubi Tertullianistas ait usque ad suum tempus durare potuisse in urbe Carthaginiensi. Non enim temere videtur credi, ubi pertinacissime sedem haeretici ac domicilium habuerint, inde etiam originem eos traxisse: quamquam haud omnino fidem habemus Anonymo, qui ex Augustino suo hoc sibi elicit, Tertullianum apud Carthaginem basilicam habuisse, ubi populi ad eum convenerint: quam basilicam usque ad Aurelium episcopum fuisse etc. — Quo certius autem ex his omnibus patet, Carthagine Tertullianum presbyteri dignitatem tenuisse, non Romae, eo magis mirum est, quod censor Antignostici a Neandro editi in Ephem. litt. Halens. A. 1825 mens. Novemb. N. 272. ss., vir ceteroquin doctissimus et acutissimus, a Semlero in errorem se induci passus est.

Juris Romani peritum fuisse Tertullianum etiamsi Eusebius 1. l. non luculenter testaretur, ex ipso satis eluceret, causidicum non item; quamquam haud sane absimile vero est. Nam quomodo tam accuratam legum Romanarum scientiam, tam frequenter ex intimo jure petitam dictionem, tam concertatorum dicendi genus comparare sibi potuit, nisi ita, ut singularem quandam operam non Rerorum modo exercitationibus, sed forensi etiam usui et Jurisconsultorum consuetudini navaverit? Id autem non solebat facere, nisi qui et ipse aliquando juris peritorum artem factitare, de jure responderet, agere causas destinaverat. Neque hoc obstat, quominus in forensem pulverem eum credamus prodiisse, quod fortasse statim post umbratilem exercitationem ad Christianam fidem conversus sit. Etenim per haud ita brevem aetatis virilis partem in paganorum consortio inque eorundem flagitiis volutatum se esse ipse indicat de Resurr. carn. c. 59. Quidni igitur probabile sit, exercuisse eum hanc artem, ad quam exer-

cendam non frustra se accinxerat, donec numine divino motus ad aliud industriae artisque curriculum dederetur? Majori certe jure nobis videatur affirmare, Tertullianum ab actu et contentione forensi ad fidei pacem transiisse, quam quo Cyprianum eandem viam confecisse Fabricius suspicatur ad Hieron. d. scriptt. eccl. c. 67. In libri enim ad Donatum initio Cyprianus discernit quidem puram illam vocis sinceritatem, quae, ubi de domino Deo sermo sit, non eloquentiae viribus nitatur ad fidei argumenta, sed rebus, ab opulenta ista facundia, quae in judiciis, in concione, pro rostris volubili ambitione jactetur (cf. Arnob. adv. gent. I. p. 35 ed. Lugdun, 1651, 4), non tamen ita, ut ullo indicio ostendat, ipsum se vel in altero vel in utroque loco hac facundia usum esse.

Quicquid autem ejus est, non confundi noster debet cum alio Tertulliano juris-consulto, quem laudat Ulpianus. Planum hoc facit Menagius in Jur. civil. amoenitatt. c. 12, cui adstipulatur Schulting. ad Caji institutt. lib. 2. tit. 1. § 1.

Eloquentiam Tertulliani non contam illam quidem inanumque verborum delectui operam dantem, sed simplicem plerumque, nervosam, ex pectore fluentem, qualem fere Stoici virtutem ac sapientiam dixerunt esse, agnoscit non Augustinus tantum, qui de haeres. c. 86 opuscula ejus eloquentissime scripta appellat, sed debitibus laudibus eloquenter effert etiam Vincentius Lirinensis, qui sicut Origenem apud Graecos, ita Tertullianum apud Latinos omnium facile principem judicandum putat in Communit. 1. 24. cf. Allix. c. 1. Quid de oratione ejus facete judicaverit recentiorum aliquis, Balsacus, v. in Ellies du Pin Nouv. Bibl. des aut. ecclés. T. 1. p. 110. Cum his aliorum laudibus posse convenire etiam reprehensionem Ruhnkenii, qui in praefatione ad Schelleri lexicou (v. Dav. Ruhnkenii oratt. dissertatt. epistt. edit. a Friedemann. p. 501 — 2) latinitatis pessimum auctorem esse Tertullianum ait et confirmat, satis in promtu est. Si quis enim latitudinem in priscae istius elegantiae, unde nos solemus scribendi et praecepta et exempla petere, angustias fastidiose compellit, ei monstra occurtere in Tertulliano, non mirum est. Nemo tamen voluntatem scriptoris inde in crimen revocet, quasi cum melioribus, qui dicuntur, loqui noluerit.

Majore jure jam Lactantius (Institutt. 5, 1. § 23) de ejus obscuritate queritur: quamquam et hic incertum est, quanta culpae pars in ipso, quanta conferenda in librarios sit incuriosius depravantes, quae non intelligent, eoque crassiores etiam tenebras locorum obscuritati offundentes.

Quando in Montani partes Tertullianus transgressus sit, parum liquet: nec quid eum ad transeundum commoverit, inter ipsum et Hieronymum convenit, nisi ea via, quam init Allixius (p. 19), utrumque velis in concordiam reducere.

Modestiae sive humilitatis, quam virtutem non ignorabat peculiarem Christianis esse (d. cult. fem. c. 9) vestigia in libris ejus passim exstant. Cf. d. cult. fem. c. 1. d. poenit. c. 12. d. patient. c. 1. Libri de Baptismo clausulam quam cum similibus aliis Semlerus, (dissertt. in Tertull. 1. § 1. not. 2.) spuriam suspicatur esse (in qua suspicione adsentantem sibi habet Antignostici censorem 1. 1.), hanc igitur clausulam nescio an tucatur locus e libr. d. poenit c. 12: peccator — omnium notarum cum sim, qua confessione imitatus haud dubie est exemplum D. Pauli 1. Tim, 1, 15.

6) D. idol. c. 10. Asconius ad Cicer. divin. in Caecin, 47 „Magistri ludi, inquit, dicuntur, qui primas litteras docent.” Nemo inde colligat, intelligendos apud Tertullianum esse non grammaticos sed grammatistas: ut erant etiam, qui similiter litteratores distinguerent aut a litteratis (v. Sueton. d. illustr. Grammat. c. 4, ad quem locum memoratam a F. A. Wolfio ex Schott. observatt. hum. 3, 14 codicis Mediolan. lectionem obiter moneo non scribit esse sed scripsit,) aut a Grammaticis (v. Appulej. Florid. 4. Lamprid. Alex. Sev. c. 3.) Quid grammatici, quem latiori nunc quidem sensu sumimus, professio apud veteres Romanos complexa sit, discimus e Cicer. d. orat. 1, 42. d. divin. 1, 18. e Quintil. instit. orat. 1, 4. 9. 2, 1. Senec. ep. 88. Traducti ad Romanos ut ceterarum, ita grammaticae quoque artis fines sunt a Graecis, qui quomodo circumscriperint et definierint hanc artem, in quasque partes eam diviserint, videmus uno in conspectu positum apud Sext. Empir. adv. Mathem. 1. § 41. 44. 49. 57. (unde sua Casaubonus in notam ad Sueton. 1. I. transtulit) 74, 76, 84, 89, 91. ed. Fabric. cf. Salmas. ad Tertull. d. Pall. c. 6. p. 464, ad Capitol. Pertin. c. 1. Jos. Scalig. epist. ad Franc. Vertunianum (opuscc. var. p. 409 — 11.)

Ludi magistros autem in nostro Tertulliani loco non esse eos, qui methodicent tantum (Quinctil. 1, 9) s. τὰ στοιχεῖα, τὴν γραμματιστικὴν, s. γραμματικὴν μικρὰν (v. Fabric. ad Sext. Empir. § 91) docerent, cuius utilitatem vel Epicurus, quamvis a reliqua doctrina abhorrens, agnoscebat, non esse primos tantum, quos Tertullianus ipse vocat (d. Pall. c. 6), informatores litterarum, sed qui historican etiam s. enarrationem auctorum idola commemorantium profiterentur, hoc ex tota argumentandi ratione, qua Tertullianus uititur, tam manifesto deprehensum appareat, ut demonstrandi labore commode possimus supersedere. Sunt igitur ludi magistri et ceteri professores litterarum apud Tertullianum haud dubie iidem, qui apud Quinctilianum (12, 11, § 20) — Grammatici ceterarumque artium professores: quibus artibus efficiebatur orbis ille doctrinae, quam Graeci ἐγκύλιον παιδείαν vocabant. Quinctil. I, 10, 1, cf. Parei. not. ad h. l. et Fabric. ad Sext. Empir. 1, 7. Quum igitur grammatica non traderet liberales artes, sed, ut Seneca ait, mox praecipiendis locum pararet, tribuitur ei minor

schola, in qua aetas nondum rhetorem capiens subsideat, et studia, quibus, antequam majora capiat, puer instituendus sit (Quinct. I, 9, 1. 12, 19. II, 1, 3.) Eadem studia a Tertulliano (l. l.) dicuntur initia eruditionis s. litteratoria eruditio (cf. Quinct. II, 14, 3), quam qui tradit, „litteras docet” seu „de idolis catechizat.” Nam etsi alibi litterae et litteratura fines suos latius proferunt usque ad quamlibet doctrinam saecularem (v. d. testim. an. c. 1. 5, d. cor. mil. c. 7), hic tamen Tertulliano imprimis cum grammatico rem esse, dubitari nequit.

De usu vocabuli affinis (unde idololatriae affinitas c. 13) cf. Ind. gloss. edit. Rigalt. et Halens. Posit numerus locorum, in quibus haec vox legitur, valde augeri: sed non opus est. Tertullianus eam velut in deliciis habet, conjungitque etiam cum gerundiis, ut discendi affinis d. resurr. carn. c. 32. In nostro quidem loco affinis idololatriae idem est, qui c. 9 obnoxius, c. 16 particeps idololatriae dicitur. Alibi paullum immutari videtur ejus potestas. Blaspemia enim martyrii affinis c. 14 est bl. martyrio aequiparanda, ut matrimonium stupri affine de exhort. cast. c. 9.

7) De Origine v. Euseb. H. E. 6, 2.

8) Praedicationem nos recte interpretari, appareat ex iis, quae laudatum locum proxime subsequuntur. Ibi interdictam eam Tertullianus ait lege, quae prohibeat deos pronuntiari et nomen hoc in vano collocari. Cf. c. 20. de testim. an. c. 2. 6, de spectac. c. 17. Alibi noster praedicandi verbo plerumque reddit graecum κηρύττειν s. εὐαγγελίζεσθαι (ut d. fug. in persec. c. 6. de bapt. c. 14. de praescriptt. haeret. c. 13. 26 Apolog. c. 18) ex vulgata illa N. T. versione, de qua v. Semler. Append. in Wetsten. Prolegg. in N. T. observ. 1. p. 585. dissert. in Tertull. 1, § 3. Plurima ab hoc fonte profluxisse in Tertullianum loquendi usum manifesta res est, quamquam nondum satis explorata. — In verbis Minucii (c. 19) — „deum — nunquam publice nisi interrogati praedicamus” nescio quid haeserit C. V. Vonck (observatt. miscell. c. 37.) Non haec capienda sunt de praedicatione essentiae divinae, cuius deus sit naturae, et quomodo existat, sed ut paullo ante Plato in Timaeo deum „in publicum dicere impossibile profatur,” ita Christiani (natio in publicum muta c. 8.) dicuntur suum deum, parentem omnium, nonnisi interrogati nominare (ut Cicero de nat. deor. 1, 12 Platonis λέγειν veritatem) i. e. nomen ejus pronuntiare. — Ceterum non legendum esse insertas idolorum praedicationes, sed, quam lectionem Rigaltius jam e cod. Fulv. Ursini attulit, inserta id. praedicatione certissimum est. Primum enim praedicationes istae plurali numero parum apte dicuntur; deinde ut intelligatur quidem, quid sit commendare istas, non tamen pariter et affirmandi et commemorandi et

testandi verbum ad easdem referri potest: unde efficitur necessario, ut etiam commendationem magis absolute dictam putemus. Quae autem hic inserta litteris idolorum praedicatione, eadem c. 18. inserta dignitati et potestatibus idolatria est. In editione Halensi, ubi haud raro textus Rigaltianus iterum depravatur, legitur inserta idol. praedicatione: quod sensu caret.

⁸⁾ D. idolol. c. 1, „unumquodque delictum — in idolatriae criminis expungitur.” Index latin. Tertull. in edit. Hal. expungitur i. e. perficitur, consummatur. Dubito num recte. Sequitur enim: „cetera (crimina) — in idolatriae conditionem suam representant: — et „omnia in idolatria, et in omnibus idolatria deprehenduntur.” Collatis praeterea aliis locis, ut c. 13 de poenit. c. 9 de patient. c. 14 de resurr. carn. c. 25, id quidem videtur constare, non inepte hic quoque vocabulo illi exhibendi vel expromendi significationem tribui posse. Recte in Gesneri thesauro vox ducitur a Jurisconsultorum consuetudine, Cf. J. F. Gronov. obss. in scriptt. eccles. c. 8. — Semlerum in loco adv. Marc. 3, 11 falso hoc verbum interpretari per implendi vocabulum, jam animadvertis censor in Walchii Bibl. philol. V. 1. part. II. p. 18.

⁹⁾ v. Clem. Alex. Strom. 6 p. 675. C. D.

¹⁰⁾ „Cur enim et lateas, Tertullianus ait c. 13, cum ignorantia alterius tuam conscientiam contamines?” — Christianos, qui a gentilibus latebrosae et lucifugacis nationis convicio urgebantur (Minuc. c. 8), jam a primis inde temporibus, ubi exiguis adhuc eorum numerus erat, cum saevissimorum persecutorum vexatione exagarentur, saepissime in judiciorum lucem non prodiisse, sed prosiluisse, nimis pervulgatum apud omnes est, quam ut opus sit, verbum amplius de ea re addere.

¹¹⁾ Locus est c. 10. Interim hic, ut alibi, idem valet, quod tamen. Cf. J. F. Gronov. I. l. c. 11. Spalding. ad Quintil. X, 1, 18. — Sensus ponitur pro intellectu, ut de testim. an. c. 1. 5. Et intelligo et sentio posse ejusdem significationis vinculo conjungi, jam Quintilianus docet X, 1, 13. Cf. Fabric. ad cod. apocr. N. T. P. II. p. 706. — Si Halensi editori contigisset secundam Rigaltii editionem inspicere, mendum istud, quo cui scribitur pro cum, sublatum vidisset. — Non possunt i. e. nihil valent, nihil efficere possunt de pudicit. c. 5. de resurr. carn. c. 45. Locum de habit. mul. c. 5; „cum illae ipsae — sine ferri et aeris operario vigore non possint” — Latinus Latinus (I. l. p. 196) corrupit conjectando — vigere. Est enim sermo ibi de ferri et aeris viribus, ut modo de auri opere et argenti vigore.

¹²⁾ „Primus Mercurius, Tertullianus ait de cor. mil. c. 8 (cf. de testim. an. c. 5) litteras enarraverit: necessarias confitebor et commerciis rerum et nostris erga

deum studiis." Et Apolog. c. 18: „Quo plenius et impressius tam ipsum (deum,) quam dispositiones ejus et voluntates adiremus, (testimonia animae naturaliter Christianae) instrumentum adjecit (deus) litteraturae." — Doctrinam saecularis litteraturae (quatenus recedit a litteris dei) Christianus aspernatur, ut stultitiae apud deum deputatam (de spectac. c. 18), non ipsas litteras saeculares, quarum necessitas etiam eo argumento comprobatur de cor. mil. c. 7, quod e suis instrumentis saecularia et cognoscenda sint, et redarguenda. Cf. de testim. an. c. 1. — Christianae autem litterae non laudantur tantum propter Christianam veritatem ex iis discedam, vel quod priores sint, a quibus posteriores saeculares instrui sustinuerint (de testim. an. c. 1. 5. cf. Apolog. c. 18. 19), sed etiam quod, si scenicae doctrinae delectent, satis in iis versuum sit, satis sententiarum, satis canticorum, satis vocum. De Spectac. c. 29.

13) Exstant haec c. 10, quamquam non eodem quo hic ordine disposita. In verbis „ex parte vitari" supplendum est ex antecedentibus non posse, ut non respicere in loco supra laudato e cap. 12: „fides didicit non respicere vitam, quanto magis victim!" — Capiendi vocabulum Tertullianus frequentat maxime de eo quod fieri potest. V. loca a Rigaltio collecta in Ind. gloss. Tert. cf. Fabric. ad cod. apocr. N. T. P. I. p. 382 *. Parum accurate J. E. Grabius explicat in antiqua illa versione Irenaei 3, 11. § 8 „non capit" i. e. non congruum erat (plura aut pauciora esse evangelia): nec nisi mera corruptela est, qua de pudicit. c. 1: „non capit, et indulgeri (ea) quasi modica, et praecaveri quasi maxima" editio Franequ. exhibet non capiunt etc. Male tamen Semlerus in loco adv. Marc. 2, 6 vulgatam lectionem caperet tuetur contra conjecturam a Latinio propositam (l. l. p. 201) careret, quam recte recepit Rigaltius. Verba subsequentia: ut bonum quoque etc. jus istud explicitant, quo ponitur hominem carere. Cf. Walchii Bibl. philol. l.l. p. 26.

14) Locus c. 10 inde a verbis: „quis ludi magister — usque ad „celebrari necesse est" salebris abundat propter menda scripturae, quae non nisi meliorum codicum ope tolli queunt. Eorum auxilio destituti in tenebris caecutimus, quamquam sensum verborum quasi per nebulam licet agnoscerem. A principio neque interpunctionem a Rigaltio propositam neque non istud a Latino Latinio (pag. 195) oblatum censemus adsumendum, sed ita potius videmur nobis verba intelligere posse: Num fieri facile poterit, ut quisquam ludi magistrorum, etsi tabula septem idolorum careat, quinquatria tamen frequentet omnibus celebranda? i. e. quemadmodum quisque ludi magister quinquatria frequentabit necessario, ita nemo poterit ea celebrare, nisi tabula septem idolorum instructus. Sic duo simul, unde idololatriae maculam suscipiat, ludi

magistro objiciuntur, alterum, quod dies festi in idoli honorem instituti ei agendi sint, alterum, quod agendi sint non sine laterculo septem deorum, quibus hoc modo item honor habeatur non debitus. Qui posterius hoc crimen inserta negandi particula vel elevat, vel plane diluit, non bene is videtur de Tertulliano mereri.

Quae sequuntur, si quidem recte habent, perspicuitatis gratia ita distinguo: — ut etsi non, prophanatus alicui idolo, verbotenus de idolothyto esse dicatur, pro idololatra vitetur i. e. ita ut, quamquam ad verbum quidem de idolothyto edere, sicut is, qui alicui idolo consecratus sive sacris ejus operatus est, dici non possit, tamen ut idololatra vitandus sit.

In deinceps sequu, deleto eo pro: *idolo nuncupatus lego idolorum dicatus*, et sic explico: numquid enim hoc inquinamentum, quod quaestus — affert, minus est eo, quo se contaminat, qui de idolothyto edit?

Quae denique haec verba excipiunt, singulari quadam obscuritate laborant, quamquam id quidem inde quasi perlucet, Saturnalia quoque celebrandi necessitatem ad magistros nostros, non ad servos pertinere, cum servi hand dubie libenter agerent festum, quod ad tempus certe libertatem iis permitteret. Quid autem sit celebrare Saturnalia sub tempore Saturnalium nemo facile dixerit, nisi forte Oedipus conjector sit: nec serviculi quidem vitii suspicione vacant. Verum priusquam urendum et secundum esse constet, satius videtur, manum hinc abstinere, quam quae paratis nondum medicamentis sanare nequimus, dubitanter attractando exulcerare.

Haud aeque offenso pede procedit loci interpretatio. De tabula septem idolorum v. quae attulit Rigaltius, e cuius nota satis praepostere fluxerunt, quae non nominato auctore Index edit, Halens. (v. Quinquatria) tanquam e sua penu deprompta lectoribus apponit. Ejusmodi tabula vel admonebat magistros, quid quoque feriarum die observandum esset, vel erat omnino potius in instrumento et supellectile scholastica. Quippe rhetores et grammaticos operam scholasticam in suos quamque dies distribuisse, Casaubonus docet ad Sueton. Tiber. 32. — De stipe novi discipuli Minervae consecrata v. praeter Nic. Heinsium et Burmannum etiam Gierigii not.

ad Ovid. Fast. 3, §29 — 30, Cf. G. J. Voss. Etymolog. lingu. lat. v. Minerval, et qui hinc quoque copias suas congesit, Pitiscum in Lex. Antiquit. Rom. — De ido-
lothyo esse locutio est e vulgata Apocalypsis versione ducta. V. de pudicit. c. 19.
Quod hic proprie intelligendum est, alibi magis generatim transfertur ad quamcunque
rem s. actionem impuram, per Christianae vitae leges non licitam. Cf. de idolol. c. 22
de cor. mil. c. 10. de pudicit. c. 14. — Quid septimontium sit, exponunt A. Au-
gustinus, J. Scaliger et Fulv. Ursinus ad Festum h. v. Inepta prorsus conjectura Pitisci
est, qua „lubenter legerit” et septimontio et bruma. Non enim strenae appellantur
omnia munera et septimontii et brumae tempore ultiro citroque commeantia. Quare
etiam c. 14, ubi brumae iterum redeunt, ejusmodi munera a strenis diserte distin-
guuntur. — Carae cognitionis honoraria equidem non intelligo de salariis, a
cognatis etiam magistro solvendis, sed de donis istis, quae magister et Calendis Ja-
nuariis et aliis festis diebus honoris causa a cognatis non tam accipere, quam exigere,
quibusque, cum per gentilium solemnia ex gentilium ritibus hoc fieret, idololatriae
macula affici videretur. — Florae scholae coronantur: „Floralibus scilicet, Florae
sacris,” interpretatur Rigaltius. Mihi quidem neque ellipsis, qualis hic statuitur, e
linguae legibus videtur esse, neque omnino dubium, etiam aliis diebus festis s. laetis
scholarum januas s. postes floribus i. e. imprimis laureis, „a saeculo” fuisse coronatas.
Cf. de idolol. c. 15. Apolog. c. 35 de cor. mil. c. 14. Unde auctore edit, Franequ.
Floram non poetice, sed grammatice transformandam in florem censeo.

¹⁵⁾ C. 17. Ut facilior sit intellectus verborum: „Hinc proxime — — capiat,
si ab omni specie idololatriae intactum se aut gratia aliqua, aut astutia etiam pre-
stare possit,” — subveniendum meliore distinctione est. Numqua enim existere dis-
putatio poterat, si quis per gratiam aliquam divinam ne specie quidem ulla idololatriae
tangeretur? Ponendum igitur post capiat interrogationis signum est, ita ut seqq.
verba ad quaestionem obortam respondeant: quae responsio deinde exemplis Josephi
et Danielis firmatur. Jam si in administranda dignitate aut potestate etiam astutiae
usum auctor concedit, ut ab idololatriae labi aliquis se integrum conservet, repugnat
sibi primum eo, quod omnino talem administrationem hic permittit, cum c. 18 omnes
hujus saeculi potestates et dignitates non solum alienas, verum et inimicas deo esse

dicat: tum quod mox eas addit conditiones, quibus ne astutissima quidem astutia satis facere queat, ut ipsi quoque fieri hoc posse parum credibile videatur: deinde quod c. 13 omnem sive simulationem sive dissimulationem improbat: denique quod in Apolog. c. 27 consilium eorum, qui „dementiam existiment, quod cum possint et sacrificare in praesenti, et illaesi abire manente apud animum proposito, obstinationem saluti praeferant,” plane rejicit, quia malus spiritus nunc astutia suadendi, nunc duritia saevidi ad constantiam Christianorum dejiciendam operetur.

¹⁶⁾ Quomodo e. g. Clemens Alexandrinus graecas litteras earumque dominam, quam vocat, philosophiam tueatur contra harum obtrectatores atque adversarios, perspicitur e Strom. 1. p. 284. A. p. 287. C. — Tritum satis ac celebratum Justini Mart. dictum est, quo in diat. c. Tryph. p. 218 (§ 2. ed. Maran.) philosophiam pradicat ut τῷ ὄντι μέγιστον κτήμα καὶ τυμώτατον, sed parum recte nonnunquam intelligitur. Significat Justinus veri Dei cognitionem e Mose et prophetis, quibus p. 225 Christi amicos adjungit, petitam. Id tamen simul perspicuum est, ne eum quidem, qui sapientiae, qualem Justinus e sacris scripturis hausit, dare operam debeat, litteris saecularibus carere posse. — Obiter moneo, in verbis οὐσίοις ὡς ἀληθῶς οὐτοῖς εἰσιν εἰ φιλοσοφίᾳ τὸν νοῦν προεσχηκότες Maranum infirma satis ratione, ut solet fere plumbeo pugione uti, refutare Sylburgum, qui Langum, Justini interpretem, ὥλβιοι pro ὕστοις legisse ex versione ejus suspicatur. Nam non solum et Pythagoreus ille p. 219 negat quemquam, nisi qui Musicam, Astronomiam, Geometriam antea percepit, visurum esse quicquam τῶν εἰς εὐδαιμονίαν συντελούντων (i. e. philosophiae), et ipse Justinus adhuc Platonicus p. 220 philosophiae suae praemium (*γέρας*) vocat beatitudinem (*εὐδαιμονίαν*): sed etiam Christianus jam factus Justinus ait, Tryphonem posse per eam philosophiam, quam μόνην ἀσφαλῆν καὶ σύμφορον appellat, i. e. per doctrinam Christianam εὐδαιμονεῖν. Et cum vituperaverit modo p. 217 alios philosophos, qui omitterent quaerere, utrum unus, an plures Dii essent, ὡς μηδὲν πρὸς εὐδαιμονίαν τῆς γνώσεως ταύτης συντελεῖσθαι: quidni conjiciendum sit, homines per Christianam philosophiam vere beatos (*ἥλβιοι*) praedicari? — Verumtamen hac conjectura commode poterit supersederi. Quum enim, ut diximus, in proxime antecedentibus Justinus alios philosophos reprehenderit, qui vel poenam non metuerent,

neque mercedem sperarent a Deo, sed eosdem se semper, nec meliores nec deteriores futuros opinarentur, vel Deo se non indigere existimarent, his opponit verae philosophiae, quae Deo προσάγει ηδὶ συνίστησιν ἡμᾶς μόνη, studiosos, eosque non im-merito ait ἔσινος ὡς δληθῶς esse. — Omnino huc non pertinere alterum locum haud minus decantatum p. 220, ubi — χρή, inquit, πάντα ἀνθρωπον φιλοσοφεῖν, ηδὶ τοῦτο μέγιστον ηδὶ τιμιότατον ἔργον ἡγεῖσθαι, nemo dubitat, nisi qui non viderit, Justinum ibi ferre adhuc Platonici personam.

Geschichtliche Nachrichten

über das hiesige Gymnasium aus dem Schuljahr
von Michaelis 1827 bis dahin 1828.

Indem ich im Begriffe bin, durch die nachfolgenden Mittheilungen zum erstenmale mit dem Publikum in Berührung zu treten, in dessen Mitte das hiesige Gymnasium zunächst seinen Wirkungskreis findet, kann ich nicht umhin, dieses Publikum um eine fördernde Theilnahme der Art, wie es dieselbe bisher wol ähnlichen Nachrichten geschenkt hat, recht angelegenlich zu bitten.

Schwerlich wird in den Annalen unsrer Lehranstalt ein Jahr aufzuweisen seyn, in welchem, um hiermit meinen Bericht zu beginnen, so vielfache Veränderungen im Lehrerpersonale stattgefunden, als in dem eben verflossenen. Zuvörderst legte der Königl. Consistorialrath, Herr Dr. Koch, der bereits seit Ostern 1827 wegen Krankheit und einer dadurch veranlassten Badecur das Lehrgeschäft ganz, das Directionsgeschäft bis auf wenig Acte hatte aufgeben müssen, am 7. Januar d. J. ein Amt feierlich nieder, welches er in einer Reihe von 35 Jahren theils an dem ehemaligen Rathslyceum, theils an dem späterhin durch Vereinigung desselben mit dem hiesigen academischen Gymnasium gebildeten Königlichen und Stadtgymnasium zum Theil allein, zum Theil in Gemeinschaft mit seinem würdigen Collegen, dem im Jahre 1816 verstorbenen Schulrath Sell, mit dem sichtlichsten Erfolge verwaltet hatte. Wer auch nur einigermassen die Schwierigkeiten und Mühen zu übersehen vermag, die mit der Leitung einer so bedeutenden Lehranstalt, als die hiesige ist, verknüpft sind, wird leicht erachten, welche Bürde er so lange getragen. Was ich in meiner vorgedruckten Antrittsrede im Namen der Anstalt, sowie im eignen ausgesprochen, fühle ich mich gedrungen hier noch einmal öffentlich zu wiederholen, den aufrichtigsten und herzlichsten Dank für alles Verdienst, das er

sich um das Gymnasium, um dessen Lehrer und Schüler erworben. Möge der Herr, der des getreuen Dieners wohl eingedenk ist, mit seiner Freude ihm lohnen!

Auch die Zöglinge der Anstalt fühlten sich aus eignem Antriebe bewogen, dem Lehrer und Leiter ihrer Jugend, an dessen Hand sie bis dahin auf ihrem Bildungswege vorgeschritten waren, ihren Dank auf irgend eine besondere Weise an den Tag zu legen. Man beschloss, ihm einen silbernen Pokal, für welchen eine gefällige, kunstgewandte Hand eine geschmackvolle Zeichnung entworfen hatte, als Denkmal der Liebe und Verehrung zu weihen, und so wurde ein solcher, ausgeführt durch einen hiesigen tüchtigen Silberarbeiter und mit einfachen Inschriften versehn, sammt einem lateinischen Begleitgedichte, das von einem ausgezeichneten Mitgliede der ersten Klasse, Hollatz I., im Alcäischen Versmaasse verfasst, und unter mehrern andern Versuchen als das beste, den auszudrückenden Empfindungen am meisten entsprechende von seinen Mitschülern erkannt worden war, unter einer angemessenen Abendmusik am Tage nach der Amtsniederlegung überreicht.

Mit dieser Amtsniederlegung war zugleich die Einführung des zeitigen Directors verbunden, der von Einem Hohen Ministerium für die nunmehr erledigte Stelle gewählt und bestätigt sein Amt mit der im Vorstehenden abgedruckten Rede antrat. Indem derselbe aber somit aus seiner bisherigen Stellung ausschied, entstand eine Vacanz, die zwar durch ein angeordnetes Vicariat einstweilen gedeckt, allein bis zu diesem Augenblicke noch nicht wieder besetzt worden; wiewohl sich gegenwärtig die sichere Aussicht eröffnet, dass von Michaelis an die in der Lehrerzahl vorhandene Lücke ausgefüllt seyn wird durch einen bewährten, auch dem litterarischen Publikum nicht unbekannten Mann, welchen Ein Hohes Ministerium als geeignet, den Erfordernissen unsres Gymnasium zu genügen, ernannt und das hiesige Königl. Consistorium bereits vocirt hat, den bisherigen Corrector Dr. Schmidt in Prenzlau.

Je näher nun Ostern heranrückte, desto entschiedener trat die Nothwendigkeit hervor, auch die dritte Klasse, was früher schon mit den drei untersten geschehen war, in zwei Parallelcötus zu trennen theils wegen der Ueberfüllung jener Klasse, theils auch um der ersten, die von Ostern an aus 65 Mitgliedern bestehen sollte und in dem bisherigen Lokale nicht mehr Platz gefunden haben würde, das bisherige geräumigere Lehrzimmer der dritten überweisen zu können. Um diese Trennung aber zu bewerkstelligen, war zugleich die Anstellung zweier Collaboratoren erforderlich. Die von dem Director deswegen gemachten Anträge wurden von den betreffenden Behörden mit der dankenswerthesten Schnelligkeit zur Ausführung gebracht, und so traten mit dem Beginne des Sommersemesters zugleich die Herren Scheibert und Wellmann, deren Lehrgeschick, während sie als Mitglieder des Seminars für gelehrte Schulen an dem Gymnasium arbeiteten, erprobt war, ihr neues Collaboratoramt, obwohl noch unbestätigt, an.

Um eben diese Zeit wurde Herrn Anderson, der schon früher durch theils privatim, theils öffentlich gegebenen Unterricht in der englischen Sprache mit unsrer Anstalt in Verbindung gestanden hatte, wegen seiner bisherigen nützlichen Wirksamkeit, wie es in der an den Director ergangenen Benachrichtigung des hiesigen Königl. Consistoriums vom 12. März d. J. heisst, die Stelle und der Charakter eines Lectors der englischen Sprache ertheilt, und es konnte davon bei Gelegenheit der Ostercensur öffentlich Erwähnung gethan werden.

Hierzu kam endlich, dass auch ein ausserordentlicher Lehrer der Naturwissenschaften, den das Königl. Marienstiftscuratorium für die Stelle des verstorbenen Geh. Medicinalrath's Dr. Lehmann in der Person des Herrn Dr. Rhades gewählt und Ein Hohes Ministerium mittelst Rescripts vom 23. Dezember v. J. bestätigt hatte, mit Ostern sein Lehrgeschäft anfangen sollte. Es wurde derselbe durch einige von dem Director vor den beiden obersten Klassen des Gymnasium, für die der naturwissenschaftliche Unterricht bestimmt ist, gesprochene Worte in sein Geschäft eingeführt.

Ich mache bei dieser Veranlassung besonders auswärtige Eltern, die ihre Kinder unsrer Anstalt anvertrauen wollen, auf eine einleuchtend wohlthätige Einrichtung aufmerksam, nach welcher Herr Dr. Rhades, wie sein Vorgänger, zugleich der Freiarzt des Gymnasium ist und als solcher sich verpflichtet hat, erkrankten Gymnasiasten, die sonst der ärztlichen Hülfe entbehren würden, diese Hülfe unentgeldlich zu leisten.

Die Sommerlectionen waren indessen kaum in einen festeren Gang gebracht, als sie in diesem wiederum unterbrochen wurden. Mit dem 1. Junius nämlich bezog Herr Oberlehrer Meumann eine ihm von der hiesigen Königl. Regierung verliehene Pfarre, und erhielt zum Nachfolger in die von ihm verlassene Lehrstelle Herrn Granzin, bis dahin Mitglied des Seminarium für gelehrt Schulen. Mit dem 1. Julius aber übernahm Herr Oberlehrer Wellmann gleichfalls ein ihm zugetheiltes Pfarramt, und sein Nachfolger war Herr Oberlehrer Hering, der bereits von Ostern an die Aufsicht über das Jageteufelsche Collegium geführt hatte, sowie in die durch das Hinaufrücken diese erledigte Stelle provisorisch Herr Mehring, bis dahin Mitglied des Seminarium für gelehrt Schulen, eintrat.

Beiden aus unsrer Mitte geschiedenen Amtsgenossen rufe ich den bei der Johanniscensur ausgedruckten Dank wiederholentlich nach für Alles, was sie der Anstalt, an welcher sie so manches Jahr mit Segen wirkten, gewesen sind.

Fügt man nun zu dem Erwähnten noch hinzu, dass dem Herrn Professor Dr. Böhmer von Ende Junius ab ein mehrmonatlicher Urlaub zum Gebrauche des Karlsbader Brunnen bewilligt worden war, und mithin seine Stelle inzwischen durch Vicarien versehen werden musste, endlich dass statt der vier zu den bezeichneten Aemtern übergegangenen Mitglieder des Seminarium vier andre aufgenommen worden, die immer zugleich auch Hülfeslehrer des Gymnasium sind, so wird der ausserordentliche Lehrerwechsel, wie er theils durch den Abgang älterer, theils durch die Anstellung neuer Lehrer, theils durch unver-

meidliche Stellvertretungen herbeigeführt worden, hinreichend nachgewiesen seyn.

Welchen Schwankungen unter diesen Umständen der Lectionsplan unterlegen, fällt in die Augen. Gleichwohl musste es eine angelegentliche Sorge des Directors seyn, denselben nicht bloss in einer äussern Regelmässigkeit, sondern auch in dem nöthigen innern Verbande zu erhalten; weshalb er denn auch das methodische Abgrenzen der Klassenpensa für sämmtliche Objecte des Unterrichts und die Entwerfung von Lehrinstructionen zu einem der vornehmsten Gegenstände der Besprechung in den allgemeinen und mehr noch in besondern Conferenzen gemacht hat.

